9 101 6

ATLAS
COSMOGRAPHICUS
MAJOR,
sistens
MUNDUM UNIVERSUM,
tam
COELUM,
Quod consideratur quoad ejus motum atque magnitudinem immensam secundum Hypotheses celeberrimorum Astronomorum
NICOLAI COPERNICI et TYCHONIS de BRAHE,
quam
TERRAM,
Aquis undique cinctam.
Præmissâ
brevi Introductione
ad
GEOGRAPHIAM
1. *Mathematicam*, in relatione videlicet ad Sphæram cœlestem,
2. *Physicam*, in consideratione Partium naturalium, Aquæ scilicet atque Terræ,
3. *Historicam*, in explicatione Monarchiarum, Regnorum aliorumque statuum & diversarum Religionum.

perspicuè tradita
à

DN. JOHANNE GABRIELE DOPPELMAJERO,
Cæsar. Leopold. Carolin. Acad. Natur. curios. nec non Reg Boruss. Societatis Scientiarum Membro, ac Mathes. P.P. Ord. Norib.

cum
Ducentis tam Astronomicis quam Geographicis Tabulis, in quibus ex probatissimis hujus Seculi Autoribus omnium hactenus Terra atque Mari detectarum regionum delineatio continetur,
editis
à

JOHANNE BAPTISTA HOMANNO,
S. Cæs. Maj. Geographo & Reg. Boruss. Soc. Scient. Membro.



NORIBERGÆ,
EX OFFICINA HOMANNIANA.
Cum Privilegio S. Cæs. Majest.
Typis JOHANNIS ERNESTI ADELBULNERI.

INTRODUCTIO
in
GEOGRAPHIAM.

TOtam hujus Universi machinam excommuni hominum sententia in duas partes, Cœlum scilicet atque Terram, dividi, nemo est, qui ignorat. Et quamvis reperiantur non pauci, quibus partitio hæc nimis videtur absurda, quod terra ad immensitatem cœli vix suppleat spatium exigui puncti physici, non tamen penitus improbandam judico, si, quantum notitiæ tam de Cœlo quam de Terra sibi per industriam acquisiverit mens humana, curatius pensitamus. Quemadmodum autem utraque pars multa continet notatu digna scituque necessaria, ita fieri non potuit, quin ex earum consideratione duplex nasceretur scientia, quarum altera, de cœlo agens, Astronomia, altera, terram contemplans, Geographia vocari cœpit.

Nostri nunc est instituti, partem hujus Universi posteriorem, terram nempe, paulo intimius perlustrare, cœli tractationem ad aliud tempus reservantes.

Quotidianâ constat experientiâ, terram nostram comprehendi partibus liquidis atque siccis, unde Geographia in genere dici optimo jure poterit descriptio globi terraquei; in speciali autem harum terræ partium consideratione illa tantum Geographiæ propriè sic dictæ nomen sibi vindicabit, quæ agit de partibus terræ siccis, altera vero partes terræ liquidas explicans, Hydrographiæ titulo erit notanda.

Geographia igitur generalis considerat totam terram ejusque partium affectiones, quatenus scilicet istæ vel ad cœlum, vel ad terram, vel ad historicam aliquam descriptionem referuntur, unde tripliciter quoque dividi solet Geographia, videlicet in mathematicam, naturalem & historicam. De quibus breviter in sequentibus.

LIBER I.
de
GEOGRAPHIA MATHEMATICA.

GEographia Mathematica dicitur, quæ beneficio quarundam disciplinarum Mathematicarum, Astronomiæ præcipue, per puncta, lineas & circulos demonstrat rationem sive constitutionem partium terrestrium cum partibus cœli respondentium.

Hæc tanquam basis reliquarum summo studio excolenda, utpote sine quâ nec in naturali, nec in historica Geographia felix ex voto successus expectandus.

Caput I.
De Figura Terræ.

QUoniam præcipua, quæ in Geographia mathematica proponuntur, ex figura terræ demonstrari debent, idcirco maximè necessarium ducimus, ut ex certis atque infallibilibus principiis vel argumentis istam terræ figuram statim ab initio probemus. Quam varias & ridiculas hac de re foverint opiniones quidam ex Philosophis veterum, dici vix potest; libet tamen ex multis nonnullas enarrare. Anaximander & Leucippus figuram terræ cylindricam statuerunt. Cleanthes autem similem dixit cono duplicato, cujus bases sibi mutuo insisterent, summitates vero esse polos terræ. Quidam cum Heraclito assimilarunt terram concavo vasi, ne maria possint effluere; Anaximenes vero cum Empedocle crediderunt, terram esse superficiem rotundam de basi ingentis Cylindri: Horum opinioni adhuc hodie non pauci ex plebe vulgi, aliique Geographiæ atque Astronomiæ imperiti adstipulantur, existimantes, terram esse planum quoddam, cujus terminis cœlum insistat, & quia terra mari cingatur, veras esse Poëtarum antiquorum fabulas, Solem scilicet matutino tempore cum stellis ascendere ex Oceano, nocte vero ingruente eidem immergi, ac fessos diurnis laboribus artus ibidem quasi refrigerare.

Non desunt tamen ex Philosophis antiquis, quorum Opinionem cum experientia seculi nostri melius conspirare certum est, dum Parmenides quingentis ante Christum natum annis, & ante hunc quoque Thales globosam seu sphæricæ figuræ terram esse crediderunt. Quibus & fidem adhibuerunt alii sapientiores Ethnici, hinc Poëta Ovidius libro quarto Fastorum egregiè canit:

Terra pilæ similis, nullo fulcimine nixa,
Aëre subjecto tam grave pendet onus,
Ipsa volubilitas libratum sustinet orbem,
Quique premat partes, angulus omnis abest.
Arte Syracusi suspensus in aëre clauso,
Stat globus, immensi parva figura poli.
Et quantum à summis, tantum succesit ab imis
Terra: quod ut fiat, forma rotunda *facit.*

Nostro itaque seculo omnes Philosophi, Astronomi atque Geographi ex rationibus evidentibus unanimi consensu statuunt, terram absque dubio esse rotundam, vel ad minimum à sphærica figura parum recedere; sunt enim ex Neotericis quidam, asserentes, terram non præcisè & ex omni parte sphærice rotundam esse, nam planum telluris secundum longitudinem axis sectæ non esse circulum, sed ellipsin; cujus major diameter coincidat cum axe telluris, in quo tamen alii dissentiunt, qui majorem diametrum per Æquatorem terræ transire, minorem vero, axem telluris exhibere statuunt. Quicquid sit, si vel maximè secundum hanc hypothesin esset aliqua diametrorum differentia, illam tamen cum doctissimo Newtono adeo insensibilem credimus, ut nihil exinde rotunditati telluris derogetur.

Argumenta pro stabilienda terræ rotunditate partim ex observationibus cœlestibus, partim ex terrestribus, desumuntur. Notissima è cœlestibus hæc sunt:

1.) Quia umbra terræ in eclipsibus lunaribus semper apparet rotunda, hanc à nullo alio, nisi rotundo corpore, oriri certum est.

2.) Quia proficiscentibus sive terra sive mari à meridie versus septentrionem, vel à septentrione versus meridiem semper alia elevatio poli & diversa solis altitudo ejusdem diei in diversis regionibus occurrere solet, quod nulla alia nisi figura sphærica præstat. Idem accidere tendentibus ab Occidente ad Orientem, testatur experientia, quippe occidentales populi tardius observant orientem solem & stellas quam orientales, unde & versus has plagas terram esse rotundam confirmatur.

Ex observationibus terrestribus sequentia argumenta veniunt notanda.

1.) Quia omnes navigationes secundum hanc hypothesin, terram scilicet esse rotundam, & ad resolutionem Triangulorum sphæricorum institutæ, feliciter successerunt, quod fieri non potuisset, si terræ corpus non esset sphæricum.

2.) Quia nautæ, quo magis à terra recedunt, eo magis ipsis occultantur inferiores montium vel turrium in vicinia littoris existentium partes; è contrario autem ad portum tendentibus summitates montium citius deteguntur, cujus incrementi vel decrementi nulla alia causa nisi terræ rotunditas esse potest.

Quæ autem hactenus de Terræ rotunditate dicta sunt, non mathematicè, sed physicè sunt interpretanda, si quidem tot altissimi montes vallesque profundissimæ superficiem telluris omnino reddunt inæqualem, quia tamen illi ad totam terræ molem nullam habent proportionem, hinc hos non magis ejus rotunditati, quam tuberculos in malo aurantio, obstare certissimum est.

Ca-

Caput II.

De Punctis atque Lineis, quæ intra Terræ Globum concipiuntur.

UT exactè situs terræ partibus cœli respondeat, & exinde determinari possit, quænam regiones sint torridæ, quænam temperatæ, quænam frigidæ, quinam populi eodem tempore easdem vel contrarias habeant anni partes, quibusnam eodem vel diverso tempore sit meridies, in quibus locis longiores numerentur dies, & quæ his sunt similia, necesse est, ut Geographia è disciplina Astronomica varia puncta, lineas & circulos tam intra, quam extra terræ globum notandos depromat. Nos itaque in hoc capite puncta & lineas intra terræ corpus imaginatione concipiendas considerabimus, puncta & circulos in superficie ejus notatu dignos in sequentibus monstraturi.

Equidem innumera puncta, lineæ atque circuli tam intra quam extra tellurem statui possunt, at vero, in quantum inservire possunt studio geographico, non pluribus quam unico puncto & quatuor lineis intra Terram opus habemus. Sunt verò ista 1.) Punctum, quod centrum terræ est 2.) Diameter terræ. 3.) Axis terræ. 4.) Axis ecliptiæ. 5.) Axis horizontis.

Centrum Terræ est illud punctum, quod in ipsius mediculio constitutum concipimus, ex quo omnes ad superficiem ductæ rectæ lineæ inter se sunt æquales, quarum quælibet semidiametrum efficit; cæterum illud punctum in determinandis Semidiametris terræ atque majoribus circulis (de quibus infra) tanquam ex ipsorum centro egregium præstat usum.

Diameter terræ est linea recta ab una extremitate terræ ad alteram per centrum ducta, per quam non solum circumferentiam, sed ex hac quoque superficiem, denique etiam soliditatem terræ supputamus.

Inter omnes diametros intra terram concipiendas, tres præcipue, quas Axes vocamus, merentur notari.

1.) Diameter tendens accuratè versus septentrionem ac meridiem, vocatur axis terræ, qui suis extremitatibus in superficie telluris designat duo puncta, quæ Poli vocantur, circa quos cœlum & stellæ moveri videntur.

2.) Diameter, quæ suis extremitatibus in globo describit circulos polares, vocatur axis ecliptiæ.

3.) Diameter per verticem sive Zenith cujuscunque loci & per oppositum Nadir transiens, appellatur axis horizontis.

Caput III.

De Punctis in superficie Globi terrestris concipiendis.

DEcem sunt Puncta, quæ in superficie telluris considerari merentur.

Ex his quatuor vocantur *primaria*, quatuor *secundaria*, & duo *verticalia*.

Primaria vocantur, quia per illa primarias mundi plagas, Orientem videlicet, Occidentem, Meridiem atque Septentrionem notamus.

Et duo quidem horum primariorum sunt immobilia, duo vero mobilia.

Duo immobilia sunt, quæ in septentrione & meridie constituta, idem quod poli præstant.

Poli autem vocantur à Græco πόλειν, vertere, circa quos nempe totum systema cœleste viginti quatuor horarum spatio circumagi videtur.

Polus in plaga septentrionali dicitur Arcticus, à Græco ἄρκτος, per quod innuitur sidus ursæ, quia nempe Polus iste proximus est stellæ ultimæ in cauda ursæ minoris. Alter vero in plaga meridionali, quia versatur in loco cœli oppositio, vocatur Antarcticus.

Duo puncta mobilia illa dicuntur, quæ directè ad Orientem & Occidentem constituta; toties vero versus hac plagas mutabilia, quoties meridiani locorum mutantur.

Hæc verò sunt propriè puncta orientalia & occidentalia, in quibus sol in æquatore constitutus, diem atque noctem æqualem reddens, oriri vel occidere solet.

Quia vero singulis diebus solem in alio puncto oriri & occidere constat, idcirco adhuc quatuor puncta *secundaria* & quidem, quæ in tropicis deprehenduntur, sunt commemoranda, Ortus nempe æstivus & Occasus æstivus, item Ortus hybernus & Occasus hybernus.

Ortus & Occasus æstivus sunt illa puncta, in quibus tempore æstatis longissimus dies est, cum sol oritur & occidit.

Ortus & Occasus hybernus sunt puncta, in quibus oritur atque occidit sol tempore hyberno, quando dies est brevissimus.

Quatuor hæc secundaria puncta optime observantur sole in Tropicis existente, quippe qui motum ipsius apparentem terminant. Vnde apud omnes, qui intra æquatorem & polum arcticum habitant, Ortus & Occasus æstivus in Tropico Capricorni notandus: populi vero intra æquatorem & polum antarcticum sitæ inverso modo in Tropico Capricorni Ortum & Occasum æstivum, in Tropico vero Cancri Ortum & Occasum hybernum considerant.

Præterea puncta hæc tam primaria quam secundaria varios in superficie telluris produnt usus. Primò enim ex his situs unius loci ad alium commode potest exhiberi. Horum ope possumus dein delineare varias ventorum species in pyxide nautica, quod plurimum conducit navigationi. Tertiò quoque per elevationem puncti septentrionalis, atq; meridionalis sive Poli Arctici & Antarctici supra Horizontem invenitur latitudo cujuscunque loci. Tandem verò omnes Geographi in tabulis suis punctum septentrionale pro norma habeant necesse est, ita ut pars illarum superior septentrionem, inferior meridiem, dextrum latus Orientem, sinistrum vero Occidentem respiciat.

Puncta verticalia, quæ Zenith & Nadir appellantur, per lineam rectam sibi invicem opponuntur.

Zenith est punctum, quod vertici nostro imminet; quoties ergo mutamus locum, toties aliud quoque Zenith statuendum.

Nadir est punctum, infra pedes nostros verticali oppositum, & Antipodum Zenith, quemadmodum vice versa ipsorum Nadir nostrum Zenith appellari debet.

Præstant usum hæc duo Puncta verticalia cum in determinandis Polis Horizontis, tum in regionibus indagandis, quarum incolæ verè sunt Antipodes, tum etiam in Meridianis designandis.

Caput IV.

De Circulis in superficie Globi terreni utiliter concipiendis.

DEcem numeramus circulos in superficie Globi terraquei animo conceptos, quos omnes tamen triplici modo considerare oportet.

Etenim vel ad ipsorum magnitudinem, vel ad situm, vel ad mutabilem aut immutabilem locum respiciendum.

Ratione magnitudinis quidam vocantur circuli majores, quidam minores.

Circuli majores sunt, qui per centrum terræ transeuntes inter se sunt æquales, & non tam terram quam se ipsos in duas æquales partes dividunt.

Circuli minores sunt, quorum centrum à centro terræ diversum est, eam in duas inæquales partes secant, adeoque magnitudinis ratione circuli inter se inæquales sunt.

Circuli majores sunt numero sex: Horizon, Meridianus, Æquator, Ecliptica, & duo Coluri; Minores vero quatuor, duo Tropici & duo Polares.

Ratione situs quidam ex decem illis circulis sunt inter se paralleli, quidam non.

Paralleli sunt quinque: Æquator, duo Tropici, & duo Polares. Reliqui vero quinque, Horizon nempe, Meridianus, Ecliptica & duo Coluri diverso & inæquali tramite procedunt.

Ratione mutabilis & immutabilis loci aliquot sunt mobiles, reliqui immobiles.

Mobiles dantur duo: Horizon & Meridianus: Immobiles octo: Æquator, Ecliptica, duo Coluri, duo Tropici & duo Polares, quippe qui semper, ubicunque sis terrarum, eundem occupant locum.

1. De Horizonte.

Horizon est circulus major mobilis, mundum visibilem in superum & inferum Hemisphærium dividens. Sciendum autem, duplicem esse Horizontem, alterum sensibilem, alterum rationalem sive astronomicum.

Horizon sensibilis est illa terræ pars, quæ visu nostro terminatur, imperfectus quidem est & parvo describitur circulo, quoniam ob terræ rotunditatem ulteriora effugiunt aciem oculorum; nihilominus hic ipse præ altero meretur nomen Horizontis; ipso vocabulo græco terminationem indicante.

Horizon rationalis est circulus major per centrum terræ transiens, cujus Poli sunt Zenith & Nadir.

Cum Horizon cum puncto verticali respondeat, necesse est ipsum semper mutari, & tot esse Horizontes quot numerari possunt puncta verticalia, nihil tamen impedit, quo minus omnes ad tres classes reducantur, & ad primam quidem Horizon rectus, ad secundam Horizon obliquus, ad tertiam vero Horizon parallelus referatur.

Horizon rectus est, cujus poli in Æquatore constituti, hic per quatuor puncta cardinalia transiens secat Æquatorem ad angulos rectos. Talis est in locis sub Æquatore sitis.

Horizon obliquus est, cujus poli intra Æquatorem & alterum polum cadunt, Æquatorem per angulos obliquos secant. Talis est in omnibus regionibus intra Æquatorem & Polum mundi jacentibus.

Horizon parallelus est, in quo poli Horizontis & poli Æquatoris junguntur, Horizon autem & Æquator sese non secant, sed uniuntur. Hujus incolas immediatè sub polis habitare requiritur.

Utimur Horizonte in definienda longitudine diei vel noctis, quæ est mora solis supra vel infra Horizontem,

Variat autem longitudo diei pro variatione Horizontis; etenim qui sub Horizonte recto, sive sub Æquatore degunt, perpetuum habent æquinoctium; qui autem immediatè sub polis, & in Horizonte parallelo habitant illis dies artificialis in totum semestre extenditur, sicut etiam nox, quia sol per tantum temporis spatium ibidem vel supra vel infra Horizontem circumgyratur. Quorum denique Horizon est obliquus, in specie, qui intra Æquatorem & circulum Polarem vivunt, illis crescunt dies à duodecim ad viginti quatuor horas; à Polari vero usque ad ipsum polum desinit diei naturalis divisio, die scilicet vel nocte continuo magis crescente, & in ipsis polis per sex menses durante.

Utimur etiam Horizonte in construendis Compassis & horologiis solaribus, siquidem divisio compassi nihil aliud est quam divisio Horizontis.

Tandem beneficio Horizontis investigatur Elevatio Poli sive latitudo loci, quæ est ejus distantia ab Æquatore, siquidem distantia Æquatoris à nostro Zenith æqualis est distantiæ Horizontis à polo.

2. De Meridiano.

Meridianus est circulus major mobilis per polos mundi & polos Horizontis transiens, adeoque per Zenith & Nadir, Horizontem ad angulos rectos secans.

Vocatur Meridianus, quia in locis sub eodem Meridiano sitis, si sol hunc circulum attingit, Meridies est, sicut is in opposita parte mediam noctem incolis designat.

Jam vero, prout poli Horizontis tam versus Orientem quam versus Occidentem infinitè variabiles sunt, ita etiam infinitus Meridianorum est numerus, quippe qui semper per istos polos transeunt. Astronomi tamen centum & octoginta Meridianis, sive trecentis sexaginta semi-meridianis, contenti, Æquatorem in tot partes dividere, & è quinto quovis vel decimo, vel decimo quinto gradu, pro magnitudine scilicet globi vel tabulæ, ne confusio oriatur, Meridianum circulum ducere solent.

Quisnam vero ex illis Meridianis primus sit, à quo nempe initium supputationis sit capiendum, nondum satis liquet, quilibet enim hactenus pro suo lubitu primum sibi finxit Meridianum, de quo infra pluribus agendum.

Utilitas hujus circuli in globo terrestri in eô consistit, ut 1.) monstret elevationem Poli & distantiam Æquatoris à Zenith, sive latitudinem loci, quia Meridiani arcus intra Æquatorem & Zenith constitutus æqualis est arcui Meridiani intra Horizontem & Polum contento.

2.) Ut tam meridiem, quam mediam noctem omnibus sub isto Meridiano habitantibus indicet.

3.) Ut ostendat initium die astronomici, qui semper à meridie incipit & principium diei per computationem communem, qui à media nocte inchoatur.

4.) Ut accurate sciamus dimidiam moram solis supra Horizontem.

5.) Ut in quovis loco monstrari possit, quænam regiones vel eôdem vel diverso tempore meridiem habeant, & quota diei hora ubivis terrarum sit.

6.) Ut latitudo loci & per hanc ejus longitudo etiam ex parte inveniatur.

3. De Æquatore.

Æquator est circulus major æquali spatio à polis mundi distans.

Appellatur Æquator sive circulus æquinoctialis, quia sole ad illum perveniente, quod bis in anno fieri solet, in omnibus terræ partibus intra Æquatorem & Polos sitis, diem atque noctem reddit æqualem, quod æquinoctium dicitur. Nautæ hunc circulum vocant lineam, quia est circulus primarius, in tabulis geographicis per lineam exprimitur.

Cæterum & hic circulus non exigua præstat commoda.

1.) Monstrat in omnibus terræ partibus puncta ortus & occasus veri.

2.) Quia ab hoc circulo in determinanda locorum latitudine sumendum est initium numerationis versus polos, idcirco tanquam fundamentum inveniendæ latitudinis merito æstimandus.

3.) Inservit inveniendæ longitudini locorum, sive distantiæ à primo Meridiano.

4.) Designat in Ecliptica, duo puncta, in quibus dum sol versatur, contingunt æquinoctia in omnibus terræ partibus intra Æquatorem & Polos constitutis. Sub ipsis vero polis tunc temporis initium est diei vel noctis durantis per spatium semestre, ita ut ingruente sub Polo Arctico die sex mensium, eodem tempore nox sex menses duratura sub polo Antarctico inchoëtur, & vice versa, nocte in polo Arctico incipiente, diescat in polo Antarctico.

5.) Monstrat terrarum incolis initium veris & autumni, quando scilicet sol bis per annum Æquatorem ingreditur, sed cum hâc vicissitudine, ut si cis Æquatorem ver floreat, tunc trans Æquatorem sit autumnus, & contra, existente vere trans Æquatorem, tunc populi cis Æquatorem autumno fruantur.

6.) Æquator est norma & regula temporis, de quo in Astronomia multa proponuntur.

4. De Ecliptica.

Ecliptica est circulus major, Æquatorem oblique secans, cujus poli non conveniunt cum polis mundi, sed in circulis polaribus existunt.

Hic circulus à multis appellatur orbita solis, quia nempe sol perpetuo sub hâc per duodecim signa cœlestia incedit.

Ecliptica autem vocatur, quia luminaria solis & lunæ in ea vel conjuncta vel opposita deficiunt, atque in hac Eclipses patiuntur.

Geographi hunc circulum in globis terrestribus atque tabulis generalibus intra duos Tropicos simul designant, utpote cujus beneficio, prout patet ex doctrina sphærica, multa problemata concinne solvi possunt.

5. De Coluris.

Coluri sunt duo circuli majores, se invicem in polis mundi ad angulos rectos secantes,

Horum alter vocatur colurus æquinoctiorum, alter vero colurus solstitiorum.

Colurus æquinoctiorum dicitur, quia Æquatorem atque Eclipticam in principio Arietis & Libræ, hoc est, in punctis æquinoctialibus secat.

Colurus solstitiorum ideo nominatur, quia Eclipticam atque Tropicos in punctis solstitialibus, in principio scilicet Cancri & Capricorni secat.

Hinc duo isti coluri Eclipticam dividunt in quatuor partes æquales, insimulque indicant quatuor puncta primaria, quæ constituunt initium quatuor anni tempestatum. In punctis enim æquinoctialibus oritur ver atque autumnus, in punctis vero solstitialibus æstas atque hyems sua capiunt primordia.

Hæc tamen de nostro Hemisphærio sunt intelligenda, in altero enim disparem atque contrariam rationem obtinere superius jam dictum est.

6. De Tropicis.

Tropici sunt duo circuli minores, æquali spatio ab Æquatore distantes.

Horum alter vocatur Tropicus Cancri, alter vero Tropicus Capricorni.

Tropicus Cancri dicitur, quia sol in hoc circulo existens tangit initium signi Cancri, insimulque cursum versus Æquatorem incipit flectere.

Tropicus autem Capricorni vocatur, quia sol pertingens ad hunc circulum, ingreditur signum Capricorni, nec ulterius descendendo, iterum versus Æquatorem recurrit. A vertendo ex Græco Tropici nomen habent.

Vocantur etiam circuli solstitiorum, quia Sol in his per aliquot dies persistere videtur, eosdemque æquales reddere. Respectu nostri Hemisphærii Tropicus Cancri posset dici Tropicus septentrionalis Tropicus vero Capricorni Tropicus australis, & vice versa.

Hi Tropici cingunt certum spatium, ultra quod sol nunquam procedit, & vocatur Zona torrida. Designant simul in Ecliptica illa duo puncta, in quibus contingunt solstitia, sive longissimus & brevissimus dies, suntque maximæ solis decinationis ab Æquatore versus Polos indices, quæ $23\frac{1}{2}$. gradibus absolvitur.

7. De Circulis Polaribus.

Circuli Polares sunt duo circuli minores, quos Poli Eclipticæ (hinc etiam Polares vocantur) circa Polos mundi describunt. Hi sunt paralleli Tropicis atque Æquatori, & in tantum a Polis mundi, quantum Tropici ab Æquatore, distant.

Circulus Polaris circa polum Arcticum ductus, dicitur polaris arcticus, s. septentrionalis respectu nostri, alter circa polum Antarcticum vocatur polaris antarcticus sive meridionalis.

Hi circuli monstrant polos Eclipticæ, includunt Zonas frigidas, & Zonas temperatas ab his secernunt.

Caput V.

De Divisione terræ in certas Plagas.

Explicata hactenus in superficie Globi terrestris puncta, lineæ atque circuli, ansam dederunt Geographis non sine fructu considerandi variis modis, atque ulterius distinguendi terram, id quod nobis quoque in hoc & sequentibus capitibus faciendum incumbit.

Quod attinet ad divisionem primam, oritur illa ex supra dictis quatuor punctis cardinalibus, cum scilicet Horizon cujuscunque loci ex puncto Zenith, tanquam centro, dividitur in quatuor plagas mundi cardinales, Septentrionem scilicet, Meridiem, Orientem & Occidentem.

Inservit hæc divisio ad exprimendum regionum situm respectu aliarum, quod non exiguam in addiscenda Geographia præstat utilitatem. Variat enim situs locorum, prout variat alter locus, ad quem refertur. Sic Germania respectu Helvetiæ atque Italiæ est septentrionalis, respectu Galliæ orientalis, respectu maris Baltici est australis, & respectu Poloniæ atque Hungariæ occidentalis. Vel sic: si consideramus Germaniam, versus Septentrionem est mare Balticum, versus Orientem Polonia & Hungaria, versus Meridiem Helvetia atque Italia, & versus Occidentem Gallia.

Eodem modo consideramus omnes terræ partes respectivè, ad nos scilicet relatas, secundum quatuor mundi plagas, siquidem hâc ex causa, quæ in Asia sunt regiones, orientales, vel in specie Indiam, Indiam orientalem, quia respectu nostri versus Orientem sita est, appellamus, novam vero terram, sive Americam dicimus Indiam occidentalem, quia respectu Europæ versus occidentem sita. Simili ratione terra Magellanica, aliæque meridionales, Nova Zembla, Grönlandia, Spitzberga sunt regiones septentrionales.

Hæ quatuor mundi plagæ cardinales hodie à benè multis, præcipuè nautis, in plures alias secundarias subdividuntur, ad accuratiorem ventorum cognitionem, quarum numerus à quibusdam ad 32. ab aliis ad 64. extenditur, harum scilicet ope verus datæ regionis situs multò certius, imò etiam Phænomeni cujusvis cœlestis locus exactius exhiberi potest.

Caput VI.

De Divisione terræ in varia Hemisphæria.

Etsi Globus Terrestris ab omnibus prædictis sex Circulis majoribus dividatur in duo Hemisphæria, quia vero duo Coluri Meridianorum vicem sustinent, insuper Globi per Eclipticam in duas partes divisio tantum Astronomiæ inservit, ideo Geographi illa tantum Hemisphæria, quæ ab Æquatore, Horizonte atque Meridiano definiuntur, considerant.

Æquator dividit Globum terrestrem in duo Hemisphæria, quorum unum septentrionale sive Arcticum, alterum meridionale sive Antarcticum appellari solet.

Horizon dividit Globum in duo Hemisphæria, quorum alterum, quod Polum habet nostrum Zenith, vocatur superius, & quod pro Polo obtinet nostrum Nadir, dicitur inferius. Hinc nostrum Hemisphærium superius est Antipodum inferius, & Antipodum superius est nostrum inferius.

Meridianus quivis dividit Globum in Hemisphærium orientale & occidentale.

Ex prædictis Hemisphæriis illa divisio, quæ ab Æquatore producitur, perpetua est, quia Æquator semper eodem loco manet, quam vero Horizon atque Meridianus efficit, illa, quia hi circuli mobiles sunt, quovis in loco mutatur.

Caput VII.

De Divisione & Dimensione Globi terreni per certas mensuras.

Quia secundum supra dicta Globus Terræ rotundus est, ideoque varios comprehendit circulos, ex quibus Peripheria ipsius tam ab Oriente ad Occidentem, quam à Meridie ad Septentionem cognosci potest, non incongruum itaque existimarunt Geographi, hos circulos, more Geometrarum in 360. partes sive gradus, & singulos gradus iterum in 60. partes s. Minuta dividere, eò fine, ut cognita magnitudine unius gradus in mensuris consuetis, totam circumferentiam facili negotio possent invenire.

Quamvis autem multi hanc Peripheriæ dimensionem impossibilem esse crediderint, siquidem nulla mensura vel instrumentum huic applicari posset; certum tamen est, quosdam à multis jam seculis Mathematicos varios excogitasse modos, quibus circumferentiam, & ex hac soliditatem terræ exacte satis, elicere possent. Ad hoc vero ipsos non curiositas, sed potius necessitas impulit, siquidem sine hujus cognitione varia Problemata, tam Astronomica quam Geographica, nullo modo solvere potuissent. Primus hoc tentavit Anaximander Milesius, qui vixit A. 550. ante N.C. cujus dimensionem sequentes Mathematici usque ad tempora Eratosthenis pro norma receperunt. Eratosthenes vero adhuc majori cura circumferentiam terræ perscrutatus non tamen acurem tetigit, hunc secutus Possidonius, talem produxit dimensionem, quæ veritati maxime erat consentanea, quam & Ptolomæus aliique Geographi per plures annos approbarunt.

Ad initium seculi noni quidam erat Rex Arabum, nomine Maimon, qui per suos Mathematicos in campis Mesopotamiæ exhibuit rationem unius Gradus ad mensuram communem. Ab illo tempore permansit in eo statu res usque ad nostra, donec Professor Matheseos Lugdunensis, Snellius, omnes præcedentes operando superaret, interim etiam Angli, inter quos Norwoodus, ulteriorem inquisitionem de veritate hujus inventionis instituerunt.

Tandem quoque Galli hanc rem non reliquerunt intentatam, mandavitque Societas Regia celeberrimo Picardo, ut hujus negotii curam gereret, ad quod perficiendum laudatus Picardus ante omnia quærebat quandam planitiem, in quâ à Meridie versus Septentrionem rectâ viâ absque impedimento per spatium multorum milliarium procedere posset, talem inveniebat non procul Lutetiis versus Picardiam, ubi nec sylva, nec mons alicujus momenti reperiebatur, intra Sourdon & Malvoisine sitam, quæ loca 32. milliaribus Gallicis, vel 19. Germanicis à se invicem distabant, & ferme sub uno erant Meridiano. Ad dimetiendam magnam hanc distantiam tredecim definiebantur stationes & tredecim triangula haud exigua, id quod quidem magno labore, feliciter tamen, successit: tunc ope calculi patebat lineam Meridianam intra Sourdon & Malvoisine deprehendi & distantiam horum locorum à se invicem constare 68347. perticis Gallicis, quas Toises appellant; inventâ dein Differentiâ Elevationis Poli horum locorum, quæ constituebat in hac distantia 1. Gradum, 11. Minuta, 57. Secunda, hinc concludebatur, unum Gradum suppeditare 57060. hujus generis perticas, mensuram Milliaris Gallici, quorum 25. constituunt unum Gradum, esse 2282. perticarum.

Elapsis aliquot annis jussu Regis quædam Membra Societatis lineam Meridianam Observatorii Parisiensis tam ad Meridionalem

dionalem quam septentrionalem terminum prolongabant, dimetiebantur eam quoque summa, qua poterant, industria. Ad Meridiem stabat Cassinus, ad Septentrionem verò D. de la Hire; tandem è dimensione hac patuit, lineam Meridianam cum Picardina exactè convenire, quo facto judicare poterant Peripheriam terræ, multiplicatis scilicet 360. Gradibus cum supra dictis 57060. perticis, & his iterum multiplicatis per 6. pedes, efficere 123249600. pedes Parisienses

Si quis hanc dimensionem circumferentiæ terrestris in mensura Germanis notâ expiscari desideraret, hoc commode per pedes & perticas Rhinlandicas præstabit, siquidem nota est Proportio pedis Gallici & Rhinlandici quæ est ut 720. ad 696. Instituta jam computatione patebit peripheriam terræ constare 119141280. Pedibus Rhinlandicis, sive 9928440. perticis Rhinl. Gradus igitur constituit 330948. pedes, sive 27579. perticas, & milliare Germanicum $22063\frac{1}{2}$. pedes, sive $1838\frac{7}{12}$. perticas ejusdem mensuræ.

Cognita terræ peripheriâ facili labore è Principiis Geometricis ipsius quoque Diameter derivatur, quæ 3159049. perticas Rhinlandicas, h. e. 1718. milliaria Germanica, sive numero rotundo 1720. constituit. Porro ex peripheriâ & Diametro tota superficies eruitur, quæ per calculum Geometricum 3136429356145. perticas Rhinlandicas quadratas sive 9288000. milliaria Germanica prodit. Tandem quoque ex his datis atque notis patebit tota Terræ soliditas, circa quam calculus immensum numerum nempe 1651362867406895o447. Rhinlandicarum cubicarum perticarum, sive milliarium Germanicorum cubicorum 2662560000 exhibet.

Operæ pretium est in fine hujus adhuc capitis quædam dicere de variis mensuris, quibus in dimetiendis locorum distantiis Geometræ utuntur, ut earum ad se invicem proportionem cognoscamus, hasque ritè applicemus.

Minima pars alicujus mensuræ est Scrupulus sive Punctum, quod est duodecima pars grani hordeacei. Linea constat 12. scrupulis, quæ est ipsa magnitudo grani hordeacei. Duodecim tales Lineæ conficiunt Pollicem, & 12. Pollices pedem.

Pede Leidensi vel Rhinlandico in mille partes diviso, harum partium Amstelodamensis 904. Hafniensis $1008\frac{1}{2}$. Londinensis 970. Dantiscanus 914. Viennensis 1020. Suecicus $946\frac{1}{2}$. Venetus 1107. Parisiensis 1035. Argentinensis 922. Noribergensis 968. Bremensis. 934. continet.

Præter dictas mensuras etiam aliæ majores consideratu dignæ sunt.

Passus communis est $2\frac{1}{2}$. Pedum.

Duo passus communes sive quinque pedes efficiunt passum Geometricum.

125. Geometrici sive 250. passus communes constituunt stadium.

1000. Passus Geometrici dant Milliare Italicum.

1250. Passus Geometrici exhibent Milliare Anglicanum.

2500. Passus Geometrici Milliare Gallicum commune.

3000. Polonicum. 3400. Hispanicum. 4000. Germanicum. 5000. Svecicum & Helveticum. 6000. Hungaricum.

Ex hoc fundamento Gradus cælestis 60. Italica, 48. Anglica, 25. Gallica. 20. Polonica, $17\frac{1}{2}$. Hispanica, 15. Germanica, 12. Svecica, & Helvetica & 10. Hungarica milliaria complet, quo posito facile peripheria, diameter, superficies atque soliditas Terræ in his mensuris exprimi poterit.

Caput VIII.

De Divisione Terræ in Zonas.

Quotidiana solis declinatio ansam dedit dividendæ superficiei Telluris in Zonas, nam sol nunquam perpetuo in uno cœli puncto permanet, sed declinat & motu suo orbitam, Eclipticam nempe, quæ Æquatorem in duobus punctis diametraliter secat, describit, ita ut maxima declinatio sit 23. Graduum cum dimidio. Hæc vero solis mutatio non fortuito & sine causa, sed ex singulari Creatoris providentia atque sapientia proficiscitur, ex hac ratione vicissitudines temporum atque variationes tempestatum ad communem hominum utilitatem in toto terrarum orbe oriuntur.

Experientia docet, pro diverso solis situ diversos quoque in terra caloris atque frigoris esse gradus; hinc triplices dicimus esse Zonas, in quarum primâ calor maximus, in secunda frigus intensissimum, in tertiâ utrumque mixtum adeoque aër temperatus est.

Has Zonas distinguunt in Globo supra descripti circuli, duo Tropici, & duo Polares, ut torrida, frigidæ atque temperatæ Zonæ accurate dignosci queant. Hi quatuor circuli totam terræ superficiem in quinque partes dividunt, quarum una Zona torrida, duæ temperatæ & duæ frigidæ appellantur.

Zona torrida, in qua calor maximus, medium terræ spatium obtinet intra duos Tropicos, & ab Æquatore in duas partes æquales dividitur, unde à quibusdam, sicut olim à Polybio & Possidonio, in Zonam torridam septentrionalem & meridionalem bifariam secatur. Nec adeo absurda hæc est divisio, si nempe initium à qualitatibus regionis hujus iisdem, quamvis non eòdem tempore, ab Æquatore versus Polum utriusque partis statuatur.

Hanc Zonam veteres, incultam ac plane inhabitabilem, utpote à solis calore perustam crediderunt, cum hujus radii, dum semper intra Tropicos sol permanet, successive perpendiculariter regionibus incidant, adeoque æstum excitent maximum; sed nostro seculo meliora per experientiam edocti novimus, illam regionem non minus fertilem quam pretiosis rebus divitem esse, hæc enim singulis annis duplici æstate, adeoque duplici quoque fructuum fruitur messe, præterea optima profert aromata atque condimenta, auro atque argento abundat, insignemque gemmarum & margaritarum copiam producit, et quamvis multa deserta, sterilia & inculta in hac Zona reperiantur loca, id quod aliis quoque, etiam præter hanc, regionibus, etiam nostræ, commune est; tamen illa sterilitas non tam solis calori, quam ipsi terræ adscribenda. Posito quoque, ex multorum opinione, nimios solis ardores procreare ariditatem soli agrorumque infœcunditatem, certum tamen est, ventos ibidem, continuis motibus flantes, longiores æstatis tempore noctes nostris, pluvias, matutinos rores, aliaque, non parum reficere terræ fructus, atque adeo solis, præcipue ubi non verticalis est, intensos æstus arcere.

Zonam torridam ab utroque latere in Tropicis terminant Zonæ temperatæ, quæ ab altera parte ad Polares circulos tangunt Zonas frigidas, atque sic inter Tropicos & Polares locum habent. Harum una vocatur septentrionalis, in qua nos vivimus, inter Tropicum Cancri & Polarem Arcticum, altera meridionalis inter Tropicum Capricorni & Polarem antarcticum. Quoniam ergo inter torridam & frigidam sita est hæc Zona, sequitur, illam tam de calore quam de frigore participare, adeoque temperato cœlo frui, inque ipsius medio nec frigus intensum, nec calorem esse intolerabilem; extra vero hanc medietatem quo propior aliquis locus Zonæ torridæ, eò majori quoque flagrat æstu, & quo propior Zonæ frigidæ, eo graviori horret frigore.

Zonæ frigidæ constituuntur inter ipsos Polos & Circulos Polares. Harum denominatio ortum trahit à frigore maximo, quod ferme per totum annum ibidem dominatur, sole scilicet non multum illas regiones illustrante, habet tamen suos incolas, uti notum est de Grönlandia-Spitzberga, Nova Zembla, aliisque; an vero usque ad ipsos Polos terra sit habitabilis, hactenus propter frigus horrendum & glaciem id nautis experiri non licuit.

Ratione magnitudinis prædictæ Zonæ dividi possunt in magnam, solam torridam scilicet, duas mediocres, temperatas puta, & duas parvas, nempe frigidas.

Ex hâc differentia sequitur has Zonas tam ratione longitudinis quam latitudinis inter se inæquales esse.

Tota Zona torrida habet latitudinem 47. Graduum, hi conficiunt 705. milliaria Germanica, quorum 15. æqualia uni Gradui. Vel si hæc in duas partes æquales dividatur, quælibet harum constabit $352\frac{1}{2}$. milliaribus Germanicis. Zonæ temperatæ latitudo est 43. Graduum, sive 645. milliarium, & Zonæ frigidæ $23\frac{1}{2}$. graduum sive $352\frac{1}{2}$. milliarium Germanicorum.

Longitudines Zonarum per milliaria definitæ semper differunt, quamvis ratione graduum eædem permaneant. Quia enim hi gradus, quo magis ab Æquatore distant, eo minores deprehenduntur, licet eorum numerus semper sit 360. usque dum in Polis plane in unum punctum coëant, inde necessario sequitur, ob hoc decrementum ambitus quoque Zonarum & milliaria versus Polos decrescere.

Maximus ambitus est in medio Zonæ torridæ, scilicet in Æquatore, & constat 5400. Milliaribus Germanicis. Quod si ambitum in Tropico consideres, in quo unicus Gradus $13\frac{1}{2}$. milliaria conficit, differt ille 450. milliaribus à priori, atque adeo minor est, & tantum constituit 4950. milliaria. In Polaribus unus gradus vix 6. Milliaria complet, igitur ambitus ibidem est 2154. milliarium, minor ergo 2796. milliaribus, quam in Tropico, & minor 3246. mill. quam in Æquatore.

Ex quibus omnibus patet, Zonas torridas ab uno latere 5400, ab altero 4950, temperatas in uno extremo 4950, in altero 2154, Frigidas vero ab una tantum parte 2154. milliaribus terminari.

Area omnium harum Zonarum sequens per calculum græodeticum elicitur: Tota torrida 3703590. Temperata quælibet 2407032. & quævis frigida 385173. Milliaria quadrata continet; quia autem tota terræ superficies secundum supra dicta in cap. 7. continet 9288000. milliaria quadrata, Zona igitur torrida tota tertiam partem hujus superficiei terrestris excedit, temperata superat quartam partem, utraque vero conjunctim dimidiam superficiei. Zona frigida est quam proximé vigesima quarta pars superficiei. Temperata est $1\frac{1}{5}$. vicibus minor tota torrida, utraque temperata junctim ferme quarta parte major.

Quænam vero & quot Zonarum regiones nobis sint cognitæ, si quæratur, sciendum, nullam omnino Zonam nobis penitus esse cognitam, siquidem in singulis diversos terræ tractus nondum satis detectos esse constat. Sic in nostrâ Zona, v. g. in Asia terra Jesso, in America septentrionali itidem multa loca nos adhuc latent; interim certum est, Zonam nostram, nempe septentrionalem temperatam, præ reliquis, dein vero torridam nobis esse notissimam. Nam in septentrionali frigida, præter aliquas insulas & littora, nihil, in temperata meridionali paulo plura, non tamen tam multa quam in nostra, in meridionali vero frigida plane nihil patet.

Consideratis tandem omnibus regionibus, quæ nobis cognitæ, perspiciemus, Zonam nostram temperatam fere duplum terræ respectu torridæ continere, hanc vero iterum plus terræ quam temperatam meridionalem comprehendere. De Zonis frigidis nihil certi statuitur, tanquam maximam partem adhuc incognitis. Tota autem terrarum nobis cognitarum extensio vix erit quarta pars superficiei terrestris, reliqua vero maria & loca nondum detecta complent.

Caput IX.

De Divisione superficiei terrestris ratione diversi positus Sphæræ.

Fundamentum hujus divisionis reperitur in capite præcedenti, quia diversi Sphæræ positus per Zonas, sive per quatuor circulos, qui Zonas constituunt, determinantur. Inprimis hoc loco considerandum occurrit, quænam Accidentia & Phænomena cœli habitatoribus terræ per omnes Globi positiones contingere soleant, & quidem tam ab initio, quam in medio & fine, hinc septem Sphæræ positiones exoriuntur. Ab Æquatore incipiendum, siquidem incolis ab hôc ex utroque latere æqualiter versus Polos distantibus eadem cœli Phænomena, licet non eodem tempore, accidunt, ex quò apparet, divisionem Zonæ torridæ in duas partes, in hac doctrina non esse incongruam.

Primus Sphæræ Positus sub Æquatore.

Qui sub Æquatore habitant, eumque pro Zenith habent, semper Polos in ipso Horizonte vident, & talis Sphæræ positus dicitur Sphæra recta. Omnes stellæ orientes & occidentes angulum rectum constituunt, estque in his terris perpetuum æquinoctium, & dies singuli duodecim, totidemque horas singulæ noctes per totum anni spatium durant.

Solis distantia à Zenith maxima ibidem est $23\frac{1}{2}$. graduum, hanc bis in anno, semel scilicet in Septentrione, semel in Meridie observant. Quatuor dantur apud illos solstitia, duo nempe sub Zenith, sole in signo Arietis & Libræ existente, & duo infra in signo Cancri & Capricorni. Duo solstitia sub Zenith duas æstates producunt, cum videlicet calor intensissimus; duo vero inferiora, quia tunc æstus solis remissior, duas hyemes designant, utpote tunc maxima solis est distantia à Zenith. Hâc ratione quoque statuere possemus, dari duplex ver & duplicem autumnum, illo scilicet tempore, quo sol reliqua signa perlustrat.

In hâc positione Sphæræ nullum cœli punctum manet occultum, sed omnes stellæ, quæ uspiam in cœlo sunt, quotidie oriuntur & occidunt, quod tantò minus evenit, quo obliquior est Globi positus.

Secundus Sphæræ Positus intra Æquatorem & Tropicos.

Qui inter Æquatorem & Tropicos degunt, unicum tantum Polum supra Horizontem visibilem observant, alter sub Horizonte latet, ex quo Sphæra obliqua oritur, unde & stellæ non perpendiculariter, sed obliquè oriuntur & occidunt. Dies atque noctes, excepto tempore æquinoctiorum, semper sunt inæquales. His populis eadem, quæ iis sub Æquatore, accidunt, quando scilicet sol ipsis proximus, hoc vero longius distante, alia observant Phænomena, & iis, quæ sub Tropicis habitantibus obveniunt, fere similia.

Tertius Sphæræ Positus sub Tropicis.

Populi, quorum punctum verticale incidit in Tropicum, habitant in fine torridæ & principio Zonæ temperatæ; quia horum elevatio Poli est $23\frac{1}{2}$. graduum, stellæ, quas circulus Polaris ambitu suo continet, perpetuæ sunt apparitionis, oppositio vero polari circumdatæ, hæ semper absconduntur. Semel per annum sol cis est verticalis, eo scilicet in Tropico existente, & tunc longissimus est dies $13\frac{1}{2}$. horarum; commorante vero in oppositio Tropico dies brevissimus $10\frac{1}{2}$. horarum est.

Quartus Sphæræ Positus intra Tropicos & Polares.

Qui intra Tropicos & Polares circulos habitant, neque nimio calore, neque nimio frigore afficiuntur, sole nunquam ipsorum Zenith transeunte, unde ipsius radii nunquam perpendiculariter ipsos attingunt, semper tamen ipsius lumine illustrantur, quod graviori frigori obicem ponit. Illud maxime desiderant, quod, quo propiores sunt circulis polaribus, eò minorem stellarum copiam observent, reliqua cœli parte in occulto latente. Major quoque est obliquitas ortus & occasus stellarum, quo proximiores sunt prædictis circulis, unde & major semper dierum noctiumque inæqualitas. Ver, æstas, autumnus & hyems semel tantum in anno occurrunt.

Quintus Sphæræ Positus sub Circulis Polaribus.

In fine Zonæ temperatæ & principio frigidæ habitant ii, quorum Zenith in ipso circulo Polari deprehenditur, major hic est obliquitas stellarum, quam apud priores, unde major cœli pars etiam semper occultatur, ita ut tandem oppositus Tropicus nunquam appareat. Dies longissimus tempore æstatis est viginti quatuor horarum, longissima nox in hyeme itidem tamdiu durat. Hujus Phænomeni spectandi causa Rex Sueciæ Carolus XI. Ao. 1694. Tornam in Lapponiâ profectus est, viditque solem die 14. Junii post meridiem ad horam usque undecimam & 35. Minuta splendentem, quem deinde nubecula per quadrantem horæ oculis quidem eripuit, elapsis vero post horam duodecimam sex Minutis pleno fulgore restituit. Cæterum ob nimiam Sphæræ obliquitatem crepuscula diutius durant, ita ut per semestre spatium vix mera nox ingruat.

Sextus Sphæræ Positus intra Circulos Polares & ipsos Polos.

Populi, quorum Zenith intra Polares & Polos consistit, obliquiorem magis habent sphæram, præcipuè quo propiores sunt ipsis polis eo major cœli pars ipsorum visui subducitur. Longiores 24. horis hic in æstate sunt dies, & hyemis tempore longiores tot horis dantur noctes, & quo propius ad polos acceditur, eo plus dies atque noctes habent incrementi, quod tandem ad aliquot mensium spatium extenditur.

Septimus atque ultimus Sphæræ Positus sub Polis.

Populi, quorum punctum verticale est ipse Polus, habitant in medio Zonarum frigidarum, & habent sphæram parallelam, in quâ Horizon & Æquator se se non intersecant, sed paralleli fiunt, unde dimidium cœli semper conspicitur, altero invisibili manente. Dies per sex menses durat, quia sol tamdiu supra Horizontem moratur. Nox eadem longitudine gaudet, quia æquali temporis spatio infra Horizontem circumrotatur. Hinc Saturnus in locis sub Polis per quindecim, Jupiter per sex, Mars per unum annum, Venus autem & Mercurius cum sole per semestre spatium, luna tandem per quindecim dies visibiles forent, quo tempore præterlapso in oppositis signis trans Æquatorem æque diu occultarentur.

Caput X.

De Divisione Terræ ratione situs incolarum.

Perlustratis secundum Zonas & Positus sphæræ habitatoribus terræ, eosdem ex comparatione Meridiani cum parallelis inter se jam in tres classes dividimus, nempe in Periœcos, Antœcos & Antipodes.

Periœci sunt, qui in eodem Parallelo & sub eodem quoque Meridiano, sed in diversis Meridiani semicirculis & in punctis paralleli oppositis habitant. Inter hæc Polus interjacet.

Ex hac definitione sequitur, Periœcos æquali distantia abesse ab Æquatore, eundemque Polum, paremque ejus elevationem habere, hinc etiam sub eâdem Zona existunt, & iisdem anni tempestatibus, ut & eodem noctium atque dierum incremento fruuntur. Hæc tamen differentia intercedit, quod in Zona torrida & temperatis, si in aliquo loco sit Meridies, apud Periœcos media nox incipiat, & vice versa. Qui vero in Zonis frigidis habitant, neque Meridiem neque mediam noctem possunt indicare ob maximam solis moram supra vel infra Horizontem.

Antœci sunt, qui sub eodem Meridiano, at sub opposito & æqualiter ab Æquatore remoto Parallelo vivunt. Sic qui in Parallelo septentrionali degit, habet suum Antœcum in Parallelo respondente meridionali.

Hi populi habent æqualem latitudinem sive elevationem Poli, sed in diversis Polis, simul habent meridiem atque mediam noctem, sed anni tempestates contrarias, quamvis similes Zonas inhabitent, nam vere in uno loco florente, in altero autumnus est, & illic imminente æstate, hic oritur hiems. Unde quoque sequitur, accrescentibus unius loci diebus in longissimum, interea alterius lôci dies decrescere usque ad brevissimum.

Antipodes dicuntur, qui sub eodem quidem Meridiano, sed non sub eodem Meridiani semicirculo habitant, quia Polus interjacet, diametraliter igitur sibi invicem opponuntur, ita ut linea ab uno loco ad alterum ducta, per centrum terræ transeat, adeoque diametrum terræ constituat. Hi populi semper contrarium experiuntur, etenim si nos Polum arcticum ejusque elevationem respicimus, Antipodes sub eâdem elevatione aspiciunt Polum antarcticum. Uni loco dies est, dum alteri nox, sol atque stellæ uni loco oriuntur, dum alteri occidunt. Si in uno loco æstas, dum in altero dominatur hyems, si Ver in uno, in altero autumnus. Dies nobiscum eodem tempore inæquales habent, sicut etiam noctes, ita ut unius loci dies longissimus sit alterius brevissimus.

Inde fluit, antœcos nostros habere æquales horas, sed inæqualia anni tempora, Periæcos æqualia anni tempora, sed inæquales horas, Antipodes vero inæquales horas & inæqualia anni tempora numerare. Præterea nostri Periœci sunt Antœci nostrorum Antipodum, & Antipodes Periœci nostrorum Antœcorum, Antœci vero sunt Antipodes nostrorum Periœcorum.

Excipiuntur tamen ab hâc regulâ ii, qui sub Polis & Æquatore degunt; qui enim sub Polis habitant, suos quidem Antipodes atque Antœcos, sed nullos Periæcos; & qui sub Æquatore vivunt, suos habent Antipodes & Periœcos, sed nullos Antœcos, igitur Antipodes sub Polis velut Antœci, & Antipodes sub Æquatore tanquam Periœci simul considerari possunt, quod in aliis sphæræ positionibus non procedit. Veteres, dum Antipodes dari nullo modo crediderunt, adversam Sententiam pro hæretica habuerunt. Post detectionem vero novi orbis & per diversas nostris temporibus circa terram institutas navigationes, veritatem prædictorum nemo amplius impugnare potest.

Caput XI.

De Divisione Terræ, ratione Umbrarum.

Per superius dicta Ecliptica Æquatorem oblique secat, ac proinde sol mox versus Septentrionem, mox versus Meridiem progreditur, adeoque ejus radii ob terræ rotunditatem variis modis in superficiem terræ incidunt, & sic diversas habent inclinationes, hinc sequitur, corpora in diversis terræ locis differentes quoque umbras projicere. Hæc res ansam dedit distinguendi incolas in tres quasi species; Amphiscios nempe, Heteroscios & Perisc ios, qui umbrarum differentiam vel tantum in Meridie, vel per totum diem observant.

Amphiscii dicuntur, quibus corporum erectorum umbræ meridianæ quibusdam anni temporibus ad Septentrionem, sole scilicet in signis Meridinalibus existente, aliis ad Austrum, in Septentrionalibus versante sole, projiciuntur.

Heteroscii sunt, qui unicam tantum umbram habent, hoc est, quorum umbræ meridianæ per totum annum alterutrum in polum constanter feruntur.

Perisc ii sunt, apud quos corporum erectorum umbræ tempore longissimi dici in omnes Horizontis plagas circumferuntur.

His prælibatis, considerabimus jam omnes terræ incolas secundum supra explicatas septem sphæræ positiones, ipsosque ab hac umbrarum differentia conveniente nomine appellabimus.

1.) Qui sub Æquatore habitant, præcipue vocantur Amphiscii, quia eorum umbra meridiana versus Polum septentrionalem, cum sol in signis meridionalibus, vel versus Polum meridionalem, si in septentrionalibus versatur, cadit. Possunt tamen etiam vocari Ascii, quia bis in anno, quando sol ipsis in vertice est, plana nullam umbram habent.

2.) Qui intra Æquatorem & Tropicos degunt, etiam vocantur Amphiscii, altera tamen umbra diutius supra scilicet sex menses durat, altera breviori temporis spatio absolvitur, prout nempe propiores sunt Tropicis. Hi quoque bis in anno dicuntur Ascii, sed quo tempore illud fiat, ex distantiâ ab Æquatore dijudicandum.

3.) Qui sub Tropicis vivunt, nunquam Amphiscii, sed Heteroscii dicuntur, quia eorum umbra meridiana constanter versus unum latus spargitur, semel tantum in anno fiunt Ascii, mox iterum Heteroscii.

4.) Qui intra Tropicos & Polares habitant, semper sunt Heteroscii, nunquam Amphiscii & Ascii.

5.) Qui sub circulis polaribus sunt, etiam Heteroscii dicuntur; semel tamen in anno etiam Perisc ii vocari possunt, quia ipsorum umbra tempore longissimi 24. horarum dici circa totum Horizontem circumfertur.

6.) Qui intra polares & Polos sedem habent, partim Heteroscii, partim Perisc ii sunt, & quidem eò magis Perisc ii, quò propiores Polis.

7.) Qui sub ipsis Polis locantur, tantum Perisc ii sunt, umbrâ eorum per sex menses circa Horizontem ambulante.

Perlustratis hactenus terræ incolis secundum umbram meridianam in septemplici sphæræ positione, restat, ut paucis etiam significemus, quotuplex annuadim quolibet globi positu per totum diem annuatim accidere possit.

Qui sub Æquatore habitant, & qui inter Æquatorem & Tropicos sunt, iis quinque modis umbra variatur, nam oriente sole versus occidentem, occidente sole versus orientem, in meridionalibus signis versus septentrionem, in septentrionalibus signis versus meridiem umbræ projiciuntur, cum vero sol ipsis in vertice, quod bis per annum accidit, tunc umbra cadit perpendiculariter.

Qui sub Tropicis commorantur, quadruplicem umbram singulis annis observant. 1.) Versus orientem. 2.) Versus occidentem. 3.) Versus septentrionem vel meridiem, prout zona temperata vel septentrionalis vel meridionalis est. 4.) Tempore solstitii horâ meridianâ, quod semel tantum per annum contingit, perpendicularem.

Qui intra Tropicos & Polares degunt, (sicut & nos) triplicem numerant umbram: 1.) Versus Orientem. 2.) Versus Occidentem. 3. Versus Septentrionem vel Meridiem, prout nempe zona temperata vel septentrionalis vel meridionalis est.

Qui sub Circulis polaribus, & intra illos atque Polos domicilium habent, quadruplici umbra stipantur: 1.) Versus Orientem, 2.) versus Occidentem, 3.) versus ipsorum polum & 4.) semel vel etiam sæpius, prout scilicet sol per plures dies supra Horizontem commoratur, circa omnes Horizontis partes.

Qui sub Polis autem vivunt, iis umbra eadem & per annum in circulum movetur.

Caput XII.

De Divisione Terræ ratione Climatum & Parallelorum.

Hæc Divisio nostris temporibus non est in usu, sicut olim erat, cum apud veteres elevatio Poli sive latitudo locorum nondum esset recepta, adeoque tunc scitu necessaria, quamvis verus locorum situs per hunc modum minus accuratè cognosceretur; conducit tamen non parum ad veterum Geographorum scripta intelligenda & explicanda.

Sategerunt autem veteres veros locorum situs exhibere ex differentia longitudinum dierum, hinc superficiem terræ per varios circulos Æquatori parallelos in parvas zonas, quæ

nas, quæ ab utroque Æquatoris latere sibi invicem quoad dierum longitudinem respondèrent, divisèrunt, hæc spatia vocarunt climata, quo significare voluerunt incrementum quoddam, quod in his spatiis scilicet longitudo dierum, facto ab æquatore initio, continuo per semissem horæ augeatur. Tandem distinxerunt unum Clima iterum in duas partes sives duos parallelos.

Experientia quoque edocti sunt Geographi, dies æstatis longissimos semper fieri longiores, quo propius ad circulos polares accedimus, à circulis vero polaribus usque ad polos non tantum ad viginti quatuor horas crescere, sed ad majus temporis spatium, immo tandem ad sex menses, extendi: ita necessario duplicem climatum classem statuendam esse judicarunt, quarum prima ab Æquatore usque ad circulos polares continet climata, incrementum semihoræ indicantia altera à circulis polaribus usque ad Polos comprehendit climata, in quibus integri menses, quorum quilibet triginta diebus æqualis, ad longitudines dierum accedunt.

Cum itaque duæ sunt Climatum classes, quare & parallelorum, tanquam semi-climatum tot sunt classes. Per hos semi-climata in quadrantes horæ, vel inquindecim dies dividuntur.

Ex his patet, clima nihil aliud esse, quam spatium circa terram intra duos parallelos inclusum, in quo differentia longissimi diei vel semi-hora vel triginta dies sunt: Parallelum autem itidem esse spatium circa terram, duobus parallelis terminatum, in quo differentia longissimi diei, vel quadrante unius horæ, vel quindecim diebus mensuratur.

Sexaginta dantur climata, quorum dimidium ad septentrionale, alterum dimidium ad meridionale Hemisphærium pertinet.

Utrumque dimidium horum climatum subdividitur in Climata semi-horarum, & in climata dierum.

Climata semi-horarum ab Æquatore usque ad circulos polares numerantur viginti quatuor; quia enim dies artificialis sub Æquatore semper duodecim horarum est, longissimus vero sub circulis polaribus dies viginti quatuor horis absolvitur, ideo incrementum duodecim horarum, sive viginti quatuor semi-horarum necessariò viginti quatuor climata consti tuit.

Climata dierum à circulo polari usque ad polum dantur sex, quia longissimi dies tot mensibus augentur, & sub polo sex mensium dies est, ideoque augmentum hoc usque ad sex menses, sex quoque Climata efficere constat.

Inventis hoc modo sexaginta Climatibus, sequitur Parallelorum, quorum unum clima duos continet, esse centum & viginti, & sic in uno Hemisphærio sexaginta.

Quamvis autem paralleli quodvis Clima in medio dividant, tamen neque paralleli neque climata sibi invicem sunt æqualia. Patet siquidem ex oculari inspectione, quod illa, Æquatori ad utrumque latus adjacentia, sint maxima, reliqua successivè semper minora fiant, quo propiora circulis polaribus sunt, primum enim clima ab Æquatore octo graduum & 34. Minutorum, ultimum in circulis polaribus trium Minutorum latitudinem habet. Sed contrarium obtinet in reliquis usque ad polum climatibus, siquidem à polaribus incipiendo minora sunt, & continua accessione usque ad Polos semper majora fiunt.

Oritur inæqualitas horum Climatum ex diversa obliquitate Horizontis respectu solis in Tropicis constituti, quo tempore omnes in isto Hemisphærio habitantes longissimum habent diem, hinc spatia climatum necessariò quoque fiunt inæqualia.

Hactenus initium divisionis climatum fecimus ab Æquatore, veteres autem Geographi, quia loca in Zona torrida Æquatori viciniora nullos habere incolas crediderunt, inceperunt primum clima in gradu duodecimo & quadragesimo primo Minuto, ubi dies longissimus indicat horas duodecim & 45. minuta: pari ratione, quia omnia loca ultra quinquagesimum Zonæ nostræ temperatæ gradum sita pro incultis habuerunt, idcirco septem tantum eis enata fuerunt Climata usque ad quinquagesimum gradum Latitudinis, sive usque ad longissimum diem sedecim horarum cum $\frac{1}{4}$. Primum igitur clima statuebant inter duos longissimos dies $12\frac{1}{4}$. & $13\frac{1}{2}$. horarum, secundum intra duos longissimos dies $13\frac{1}{2}$. & $13\frac{3}{4}$. horarum, & sic per semihoras ascendendo usque ad $16\frac{1}{4}$.

Quo melius dignoscantur hæc climata, iidem veteres Geographi medium cujusque per celebres orbis antiqui urbes, insulas, maria & flumina ducebant, ipsaque ab his denominabant. Sic primum per Meroën in Æthiopia, secundum per Cyrenem in Ægypto, tertium per Alexandriam, quartum per Insulam Rhodum, quintum per Romam, sextum per Pontum Euxinum, septimum per fluvium Boristhenem definiverunt.

Detectis autem versus septentrionem pluribus regionibus, addiderunt adhuc duo climata, primum s. octavum per Riphæos montes in Sarmatia Asiatica, alterum sive nonum per Tanaim fluvium ductum.

Ptolomæus sequenti tempore auxit numerum novem climatibus, quorum, septem septentrionali, duo vero meridionali Hemisphærio adjunxit, tunc temporis enim tantum terræ jam cognitum erat, idem primus quoque fuit, qui ab Æquatore cepit initium numerationis climatum & per parallelos ad distantiam quadrantis horæ mensuravit.

Caput XIII.

De Divisione Terræ secundum Longitudinem & Latitudinem.

Geographis postmodum perspicientibus, divisionem Terræ in climata non sufficere ad inveniendum verum locorum situm, nam distantia locorum ab Æquatore versus Meridiem vel Septentrionem tantum aliquo modo, ab Occidente vero vel Oriente plane non erat cognita, quare de alia adhuc divisione fuerunt soliciti, cujus beneficio non solum certus & infallibilis alicujus loci positus ad septentrionem & ad meridiem, sed & ab occidente versus orientem accuratius cognosci posset. Utque illud præstarent, pro fundamento posuerunt Æquatorem, in quo ex certo aliquo puncto distantia ab Occidente versus Meridiem vel Septentrionem, hoc est, versus alicujus loci situs definiri posset, hoc præsuppositio, distantiam loci ab Occidente versus Orientem ex determinato Æquatoris puncto, longitudinem loci, distantiam vero ab Æquatore versus polos latitudinem loci appellarunt.

Quemadmodum enim in omni superficie majus latus longitudo, minus latus latitudo vocatur, ita & in Globo illa extensio, quæ ab Occidente versus Orientem per totam Æquatoris peripheriam tendit, merito longitudinis nomine insignienda, & quæ ab Æquatore versus polos progreditur, quia tantum est quarta pars prioris, latitudo dici meretur. Fortasse ex hac quoque ratione longitudinem vocarunt, quia olim regionum circa Æquatorem certiorem habuerunt notitiam, quam earum, quæ circa polos inveniuntur, siquidem veteres vix ultra sexagesimum gradum ad septentrionem, & decimum octavum ab Æquatore ad Meridiem pervenerunt. Accedit & hoc, quod, sicuti in pluribus Geographia imitatur Astronomiam, ubi motus stellarum ab Occidente versus Orientem, tanquam spatium majus, longitudo, motus vero ab Ecliptica versus Meridiem vel Septentrionem, veluti spatium minus, Latitudo vocatur, ita & terræ globo illud concinne applicatum est.

Quamvis autem in designandis latitudinibus, tanquam certum terminum à quò, habuerint Æquatorem, qui, dividens Terram in duo Hemisphæria æqualia, Latitudinis septentrionalis atque australis fundamentum præbuit, certum tamen punctum in Æquatore pro principio longitudinis, per quod transiret Meridianus primus, constitutum non est, nam pro lubitu tale punctum sibi elegit ferè quilibet Geographorum, maximo quidem Geographiæ incommodo, cùm alius ex hoc, alius ex alio loco, per insulam sive montem ex causis cuique specialibus primum Meridianum duxerit. Quidam putarunt, initium terræ esse Hispaniam, hinc primum Meridianum per extremos ejusdem fines duxere; cum & illi inter se discreparent, aliis istum per Caput S. Vincentii, aliis per Portum Gaditanum, aliis per Gibraltariam designantibus, sed post detectas insulas Canarias deprehenderunt, erroneam fuisse hypothesin de terræ initio, idcirco mutata est sententia, & Meridianus primus per has insulas ductus. Optimè consultum fuisset, quod multi ex recentioribus affirmant, si in hôc acquievissent Geographi, siquidem etiam Ptolomæus eôdem usus est, quia hæ insulæ Canariæ illæ ipsæ sunt, quas prædictus Autor insulas vocavit fortunatas. At vero ulterius progressi sunt versus Occidentem, & inventis novis insulis, quæ Capitis viridis & Azorides sive Flandricæ dicuntur, ibidem crediderunt initium esse terræ. Post detectam tandem Americam dubitare cœperunt omnes de primo Meridiano rectè statuendo, unde in diversas abierunt partes, & quilibet pro ratione

tione suæ intentionis vel hunc vel alium indigitavit. Vischerus, Wittius, Danckertus atque Valckius elegerunt ex insulis Canariis Teneriffam, tanquam maximè notabilem propter montem Picum, ob altitudinem insignem perquam notum. Mercator cum Ricciolo ex iisdem insulis Palmam adhibuit, quia in hâc primus Europæ portus. Nicolaus Sansonius, Joh. de Fer, & Hermannus Moll, Geographus Anglicanus extremam harum insularum, Ferro sive Fer dictam, Meridiano primo destinarunt, quia incongruum putarunt, has insulas adeo vicinas separare. Gallis verò per edictum Ludovici XIII. ab Anno 1643. injunctum fuit, eandem insulam ultimam Canariarum, *Ferro*, huic usui reservare.

Videmus itaque, quantum inter se distent Geographi in statuendo Meridiano primo. Certè parum obstaret, quæcunque tandem eligeretur insula, modo illa ab omnibus, evitandæ confusionis causa, pro perpetuo Meridiano primo reciperetur.

Cum vero doctrina de Latitudine & longitudine locorum præcipua & maxime necessaria sit in Geographia, nam hujus beneficio majora indies capit incrementa, itaque operæ pretium erit, monstrare rationem atque modum, utramque omnium locorum tam mari quam terra inveniendi.

Latitudo loci necessariò è cœlo petenda, nam ejus mensuratio in superficie terræ, tam propter ejus inæqualitatem, quàm propter immensas distantias instituì nequit. Jam per experientiam novimus, latitudinem loci, sive distantiam ab Æquatore æqualem esse ejus elevationi Poli supra Horizontem, quam elevationem præcepta Astronomica variis modis quærere docent.

Observetur v. g. altitudo solis meridiana supra Horizontem, & si dies nondum est duodecim horarum, addatur ejus declinatio, si vero dies superat duodecim horas, subtrahatur solis declinatio sive distantia ab Æquatore. Quod si dies est præcisè duodecim horarum, tunc nulla solis declinatio, quia sol versatur in Æquatore. Hâc ratione altitudo Æquatoris ejusque complementum, h. e. ellevatio poli sive latitudo loci nota erit.

Nocturno quoque tempore invenitur Elevatio poli, quod commodè fieri non potest, nisi cum longissimæ dentur noctes; Observetur stella non procul à polo distans & semper apparens, hæc intra duodecim horas binis vicibus sub Meridiano conspicitur. Utroque casu altitudo stellæ per Instrumentum capiatur, quod si deinde dimidia differentia harum duarum altitudinum minori altitudini addatur vel à majori subtrahatur, pariter habebitur elevatio poli sive latitudo loci.

Quamvis autem hæ observationes ritè peragantur in terra & facile sit, eas summa industria repetitis vicibus instituere, fatendum tamen illas in mari, ob navium titubationes pluribus difficultatibus esse obnoxias, unde & nautas in vera locorum latitudine sæpius non parum errare certum est.

Quod attinet longitudines, illæ ex causis supra dictis eadem ratione è cœlo deducendæ, sed et praxis, præcipue in mari, tot habet obstacula, ut Galli, Angli & Batavi præmium 5000 florenorum jam dudum promiserint illi, qui utilissimi istius problematis solutionem, longitudines nempe omni tempore in mari, & tam accuratè quam in terra, inveniret, dici non potest, quantum ex felici hujus rei successu in nautas redundaret emolumenti, Tabulæ quoque Geographicæ mirum in modum emendarentur.

Equidem non pauci tam gloriæ cupiditate, quam commodo ex insigni præmio allecti omnem moverunt lapidem, ut certam excogitarent regulam, quæ nullo falsitatis vitio laboraret, multi dein in ea fuerunt opinione, rem sibi optimè cessisse, quod tamen exitus minime comprobavit. Quamvis enim ex collectione plurimarum regularum evidentiam inventionis bene satis demonstraverint, observationes tamen secundum illas regulas, in mari præcipuè, instituendas ob innumeras difficultates ad effectum deducere nullo modo potuerunt.

Optimè tamen præ reliquis hujus artis inventoribus rem tetigit insignis Mathematicus, Christianus Hugenius, qui, applicato ad horologium pendulo, hujus beneficio feliciter & facile labore longitudines observari posse ipso facto demonstravit. Unde postmodum quoque talia horologia mirum in modum perfici ceperunt, dum Hugenius loco breviorum pendulorum, quorum inæqualis motus sæpius a tempestatum inconstantia & mutatione aëris producebatur, longiora substituit, in parte inferiori globum sive pondus habentia, quibus, ne aberrent, per duas pinnas chalybeas in figuram cycloidis efformatas & ad utrumque latus ordinatas, obicem posuit. Dicuntur hæc vulgariter perpendicula, sed male.

Operatio Hugenianæ inventionis in hoc consistit: Nauta v. g. Amstelodamo ad Canarias insulas tendens, ut semper longitudinem loci, in quo versatur, reperire possit, instructus sit per hoc iter prædicto horologio oscillatorio vel, majoris certitudinis causa, duobus, quæ ita sint disposita, ut tempus in his Amstelodamensi Meridiano respondeat. Quod si, præterlapsis aliquot septimanis in ipsis insulis Canariis observaverit Amstelodami esse horam post meridiem e. g. secundam, astronomico instrumento tunc quodam mox dimetiatur solis altitudinem (nocturno vero tempore altitudinem stellæ) ex hac per computationem eliciet, quota sit hora in loco insulæ; Verbi gratia si forte duodecima cum triginta Minutis emergeret hora, sequeretur, sine dubio Amstelodamum distare à Canariâ unâ & dimidia hora, quod tempus 22. gradus cum dimidio constituit, siquidem Sol intra viginti quatuor horas totum terræ ambitum perlustrat, consequenter singulis horis per quindecim gradus progreditur, unde necessario illa loca, quæ una hora numerando differunt, quindecim gradibus à se invicem distant.

Hanc rem feliciter ad praxin deductam experimento testatus est magister navis in Anglia, Holmes dictus, qui An. 1664. ex insula S. Thomæ sub Æquatore sita, tali horologio monitisque dictis instructus in Angliam trajecit. Hic autem elapso longo temporis intervallo navis gubernatorem & nautas suos ad se vocabat, atque ipsorum calculum ad examen sui horologii vocans, certò asserebat, insulam del Fuego Promontorii Viridis jam non plus triginta milliaribus distare, quamvis reliqui nautæ, primus octoginta, secundus centum, tertius centum & viginti milliaribus ab ipso differrent, serió interim mandans, ut cursum illuc dirigerent, detexit postero die, tempore matutino prædictam insulam ex sententia & voto.

Quamvis autem plures navium magistri veritatem hujus experimento confirmarint, Hugenius tamen promissum præmium eam ob causam obtinere neutiquam potuit, quia hic modus non semper ad effectum deduci potest, cum scilicet subortæ in Oceano tempestate impossibile sit, ut tale horologium perpetim motum continuare possit, quò tamen hujus viri industria aliquo compensaretur beneficio, Privilegium impetravit, ut præter ipsum nemini esset concessum, ejusmodi generis conficere horologia, at vero brevi temporis spatio plures in diversis terræ locis artifices habuit imitatores. Reportavit interim Hugenius gloriam inventionis, quam in peculiari opere, doctè atque ingeniosè scripto, æternitati consecravit.

Longitudinum in terrâ exhibendarum methodus multo facilior est, siquidem instrumenta ob firmitatem soli tutius applicari, adeoque observationes rectius instituì possunt. Variis autem modis tam superioribus quam nostris temporibus feliciter hoc tentatum est. Primus omnium fuit per Eclipses lunares, observato enim in diversis locis ad horologium oscillatorium eclipseos initio, medio atque fine, ejusque phasibus, cum scilicet umbra terræ maculam aliquam lunæ primariam, ab Astronomis peculiari nomine insignitam, tangit vel occultat, notatis, atque tandem his observationibus eodem temporis momento institutis inter se collatis patebit differentia temporis pro diversitate Meridianorum, ex quâ deinde locorum longitudo quoque definitur.

Requiritur vero maxime, ut repetitis vicibus observationes instituantur, quod, ob Eclipsium lunarium paucitatem fieri non potest, siquidem vix una vel duæ, interdum plane nulla annuatim & insuper interdum quædam vel infra Horizontem, vel nubilo atquod pluvioso tempore contingunt; porro etiam notatum nudo oculo ante tuborum opticorum inventionem initium atque finis eclipsium facile falsitatis suspicionem incurrerit, præcipuè cum per ipsos tubos hæc vix satis accurate determinari possint, qui umbram à penumbra difficulter distinguunt. Quare plura quærentes adjumenta Geographi atque Astronomi, nacti sunt occasionem ex detectis Anno 16 o. quatuor circumjovialibus planetis, quorum qui Jovi proximus, ob celerem motum sæpius ab umbra Jovis obscuratur, eâdem ratione, qua Luna ab interposita terra. Omnem igitur multi ex Mathematicis moverunt lapidem, ut per plures observationes circa

morum hujus Satellitis inſtitutas tandem exactum tempus, quo eclipſin patitur, definire poſſent, at vero, quia labor erat multorum annorum, quem primi Obſervatores ad finem perducere non poterant, hinc noſtris temporibus duo celeberrimi Aſtronomi, Caſſinus in Gallia, & Flamſteedius in Anglia, ſuperatis omnibus difficultatibus, horum planetarum ſecundariorum motus, præcipue verò primi è ſuis obſervationibus tam exactè determinarunt, ut Caſſinus in ſuis tabulis ſæpius minutum temporis eclipſeos jovialis ex calculo prædixerit. Ex his tabulis præcipue Dn. Beaulieu inter Gallos Eclipſes primi jovialis in plures annos calculo ſubduxit & odidit, ſecundum quem calculum ſingulis ſeptimanis ſemel, bis vel, ter iſte planeta ſecundarius & Jovi proximus obſcuratur, imò, priusquam luna unicam eclipſin patitur, in circumjoviali hoc ſupra centum eclipſes obſervantur. Hâc ratione longitudines locorum, reducta differentia temporis, prout in eclipſibus lunaribus, in gradus Æquatoris, ad multo majorem perfectionem redactum iri, non dubitandum. Requiruntur vero ad has obſervationes inſtituendas inprimis tubus optimæ notæ atque inſignis longitudinis, cum horologio oſcillatorio, ut immerſio atque emerſio hujus planetæ, atque momenta temporis exacto ſtudio exhiberi poſſint.

Laudatus Caſſinus ulterius progreſſus Methodum quoque aperuit inveniendæ longitudinis, mediante eclipſi ſolari, quam olim propter Parallaxes ad hoc inſtitutum minime aptam judicarunt Aſtronomi, cum ſcilicet terrarum incolæ hanc putatitiam ſolis obſcurationem eodem temporis momento non eâdem, ſed diverſa magnitudine ſemper obſervent, de qua ingenioſe loquitur in libro, qui inſcribitur Memoires de l'Academie des Sciences Anni 1700.

Ex his fundamentis optime deduxit ipſius filius, quâ ratione ex occultatione Fixarum atque Planetarum, non ultra quinque vel ſex gradus ab utroque eclipticæ latere diſtantium â lunari corpore, quod, cum ſtellæ in zona quinque vel ſex graduum ab utrâque eclipticæ parte, numero ducentæ reperiantur, interdum ex his nonnullas obtegat, itidem locorum longitudo cognoſci poſſit, de quo in modo dicto libro plura tradidit.

Quamvis ingeniosè duæ poſteriores Longitudinis inveniendæ methodi ſint excogitatæ, difficilius tamen ad praxin deducuntur, hinc ab Aſtronomis ſuſcipiendæ, qui præcipue figuras perquam accuratè delineare valent. Sufficiant interim duo modi priores, quorum beneficio hactenus non parum utilitatis redundavit in ſtudium Geographicum, ſiquidem P.P. Jeſuitæ in China, India &c. collatis cum noſtris ipſorum obſervationibus, teſtantur, plurima in iſtis regionibus loca, quod opinioni communi adverſatur, nobis multo eſſe propiora, imo extremos Aſiæ fines ad viginti gradus propiores ſtatui debere, id quod Hermannus Moll, Geographus Anglicanus, in ſuo Planiglobio terreſtri indigitavit, qui etiam Caput bonæ Spei in parte Africæ infima ſecundum has obſervationes verſus Occidentem aliquot gradibus promovit. Statuunt habitæ in Inſula Dominici obſervationes, Americam quoque ſex gradibus magis verſus Occidentem ſtatuendam, quam Sanſonius diſpoſuit. Hos erroret exinde ortos judicat Dn. de la Hire, quod hactenus determinatæ locorum longitudines potius ex æſtimatione navigantium, quam ex aſtronomicis obſervationibus depromtæ fuerint, illi enim tantò longius crediderunt diſtare loca Indiæ, Chinæ, &c. quo diuturnior atque difficilior ipſis obtigerat itineris curſus, contra, cum in Americam proficiſcentes breviori tempore illuc appulerant, ſi quidem nobis propriorem, idcirco & magis Europæ propinquam probabiliter judicarunt.

Maximas igitur Aſtronomiæ habeamus gratias, quod tam præclarè hiſce obſervationibus inſerviat ſtudio Geographico, hinc illa non tantum propter ſe ipſam, ſed etiam propter alias, quibus opitulatur, ſcientias, ſummo in pretio merito eſt habenda.

LIBER II.

De

GEOGRAPHIA NATURALI.

GEographia naturalis eſt, quæ duas primarias telluris partes, terram atque aquam, ratione diviſionum, in majores & minores partes, vel, ratione naturalium affectionum & qualitatum, quomodo inter ſe differant, in genere conſiderat.

Cum itaque tam terram quam aquam contemplamur, non incongruum erit, hanc doctrinam in duas partes, Geographiam nempe ac Hydrographiam generaliter tantum diſtinguere, atque de his breviter quædam in ſequentibus explicare.

PARS PRIMA.

De Diviſione Terræ.

TErra non continuo tractu procedit, ſed abaquis in multas diverſæ quantitatis partes diſtinguitur; hinc eam omnino in partes majores, nempe in Terram firmam ſive continentem, & in partes minores, ſive inſulas, primò dividimus.

Quod ſi porro perpendamus terræ partes, quatenus vel in mare longius excurrunt, vel â mari aliquo modo cinguntur, nova oritur diſtinctio in Peninſulas atque Iſthmos.

Tandem conſiderantes terræ partes, quatenus vel aquis alluuntur, vel ab iſtis plane ſeparantur, datur tertia terræ diviſio in littora & terram in medio ſitam.

De his omnibus ſpecialiter nunc agendum, quibus abſolutis, Hydrographiam, quæ easdem ſubdiviſiones ſuppeditat, perluſtrabimus.

Caput I.

De Diviſione Telluris in terram firmam & inſulas.

TErra firma eſt magna telluris pars, varias regiones continens, quæ â ſe invicem per mare non penitus ſeparantur.

Inſula eſt parva telluris pars, quæ â terra firma ſeparata, undique aquis cingitur.

Quæcunque præter maria in globo reperiuntur, dividi poſſunt in quatuor Continentes majores, & triginta inſulas primarias, ſæpius enim multæ inſulæ uno nomine comprehenduntur.

I. De Terris firmis.

Si quatuor terras firmas, quæ globum terreſtrem maximam partem conſtituunt, paulo curatius perluſtramus, deprehendemus illas vel nobis notas, vel incognitas, vel aliquo tantum modo eſſe notas, duæ autem ſunt notæ & duæ incognitæ.

Prima & maxima ex notis eſt mundus antiquus, ſic dictus, qui à multis retro ſeculis ex Hiſtoria cognitus eſt, comprehendit autem Europam, Aſiam & Africam.

Secunda & magna eſt America, ſive novus mundus, ſic dictus, de quo ab aliquot tantum ſeculis noritia ad nos pervenit. Dicitur etiam India occidentalis ad differentiam Indiæ orientalis, quæ utraque Europæis ingentes parit divitias.

Reliquæ duæ nobis incognitæ terræ firmæ circa utrumque polum locum habent, unde quæ verſus Polum antarcticum ſita eſt, vocatur terra incognita meridionalis, ſive Magellanica, quia Magellanus primus fuit ex Europæis, qui prope ad illam acceſſit, atque nos de illa certiores reddidit. Dicitur etiam terra de Quir, quia ſcilicet Ferdinandus de Quir poſt Magellanum plura detexit.

Quæ circa Polum arcticum ſitæ ſunt regiones, vocantur terra firma incognita ſeptentrionalis, ſive arctica, ſi quidem magnam partem terræ firmæ conſtituunt, & ab America ſunt ſeparatæ,

An prædictæ duæ regiones incognitæ terræ firmæ nomen mereantur, futura forteſſe tempora, & ſi vel maximè tales eſſent, duas tamen has nobis cognitas tam magnitudine, quam fertilitate illas antecellere firmiter credendum, interim etiam regiones ſeptentrionales, meridionalibus, meridionales Americæ novus mundus veteri eſſent poſtponendæ.

De Diviſione Terrarum Firmarum in Partes majores.

Mundus antiquus ſ. vetus orbis dividitur in tres partes majores: Europam, Aſiam & Africam.

Novus mundus ſive America in duas partes diſpeſcitur: in Americam ſeptentrionalem & meridionalem.

Reliquarum duarum circa Polos nulla hactenus, quia adhuc incognitæ ſunt, dari poteſt diviſio.

De ſubdiviſione terrarum firmarum in præcipuas regiones.

Inter tres orbis antiqui partes minima quidem eſt EUROPA, ſed multis ex cauſis, præcipuè ob ſcientias atque artes ibidem florentes, nobiliſſima.

Europa dividi poteſt in genere in novem partes primarias; ſiquidem ad hanc etiam inſulæ quædam, tanquam regna notatu digna referri debent Tres ſunt circa Septentrionem tres circa Meridiem, tres in medio ſitæ.

Tres circa Septentrionem reperiuntur.

1. Inſulæ Britannicæ, Angliam, Scotiam, Hiberniam comprehendentes.
2. Scandinavia continens Sueciam, Daniam & Norwegiam.
3. Moſcovia, ſive Ruſſia alba.

Tres in medio Europæ dicuntur,

1. Gallia, ad quam Lotharingia & Sabaudia refertur.
2. Germania, cui Provinciæ fœderatæ, Helvetia, Hungaria annumerantur.
3. Polonia.

Tres circa Meridiem vocantur,

1. Hiſpania & Portugallia.
2. Italia.
3. Turcia Europæa, ad quam Tranſylvania, Moldavia, Wallachia, Tartaria minor atque Ukrania refertur.

II.

ASIA ex tribus veteris orbis partibus, tam magnitudinis, quam divitiarum nomine, præſtantiſſima, in ſex partes ſubdividitur; ſuntque.

1. Turcia Aſiatica. 2. Arabia. 3. Perſia. 4. India, ſ. magni Mogolis regnum. 5. Imperium Sinarum. 6. Tartaria magna.

III.

AFRICA minor quidem Aſia, ſed major ditiorque Europa; dividitur præcipue in duas partes, Lybiam ſcilicet atque Æthiopiam, quarum quælibet in ſex minores ſubdividitur.

Lybiæ regiones ſunt: 1. Barbaria. 2. Ægyptus. 3. Biledulgerid. 4. Saara deſertum. 5. Nigritia. 6. Guinea.

Æthiopia continet. 1. Nubiam. 2. Abyſſiniam. 3. Zangebar. 4. Congo. 5. Monomotapa. 6. Caffariæ littora.

IV.

AMERICA ſive novus Orbis pari modo in duas majores partes, Mexicanam ſcilicet atque Peruvianam, ſive in ſeptentrionalem & meridionalem diſtinguitur.

Septentrionalis Americæ regiones quinque ſunt: 1. Canada, ſive nova Francia. 2. Nova Mexico. 3. Mexico ſive nova Hiſpania. 4. Florida. 5. Nova Anglia & reliquæ provinciæ Britannis ſubjectæ.

Meridionalis Americæ partes ſunt ſeptem. 1. Terra firma. 2. Peru. 3. Amazonum regio. 4. La Plata ſive Paraguay. 5. Braſilia. 6. Chili. 7. Terra Magellanica.

Quod attinet regiones circa Polos ſitas, de illis, quia hactenus incognitæ, nullam, per ſupra dicta, habemus diviſionem, ſufficiat itaque ſcire tantum ea, quæ in littoribus detecta ſunt.

V.

Meridionalibus Regionibus, quæ Terram firmam tertiam conſtituunt, in noſtro Hemiſphærio annumerantur: Nova Hollandia, Carpentaria, terra de Quir, Dimens-Land; in altero vero Americæ Hemiſphærio reperitur terra del Fuego & Nova Zeelandia.

VI.

De ſeptentrionalibus ſive terra firma quarta in noſtro Hemiſphærio nota ſunt: Nova Zembla, Spitzberga, & Grönlandiæ pars. In Hemiſphærio Americano: Grönlandiæ reliqua pars, nova Dania, & terra de Jeſſo deprehenditur.

II. De Inſulis.

Inſularum ab aliquot ſeculis in oceano paſſim detectarum ingens eſt numerus, at verò brevitati ſtudentes illas in triginta claſſes (conſideratis ſcilicet nonnullis ſingulis, aliis ſub uno nomine ſimul) dividemus. Ordinis quoque cauſa & relative ad quatuor Continentes, quibus adjacent, ad quatuor genera reduci poſſunt; hinc aliæ ad orbem veterem, aliæ ad novum urbem, aliæ ad terram firmam meridionalem, aliæ ad Continentem ſeptentrionalem referendæ.

Circa orbem veterem numerantur novendecim, nempe, tres ad Europam, novem ad Aſiam, ſeptem ad Africam undecim ad Americam meridionalem & ſeptentrionalem.

Nullum eſt dubium, quin plures dentur inſulæ ad terras firmas duas poſteriores, de quibus autem nulla hactenus ad nos notitia pervenit.

1. De Inſulis circa orbem veterem.

Cum terra firma orbis antiqui in tres partes majores dividatur, Europam nempe Aſiam & Africam, hinc & inſulas in Europæas, Aſiaticas & Africanas merito diſtinguimus.

1. De Inſulis Europæis.

Inſulæ Europææ maxime notabiles ſunt vel in oceano, vel in mari mediterraneo, vel in mari Baltico.

In oceano ſunt inſulæ Britannicæ, Anglia ſcilicet Scotia & Hibernia, quibus adnumerari poſſunt Orcades & Hebrides inſulæ ad Scotiam.

Inſulæ, quæ in Mediterraneo mari reperiuntur, in tres claſſes dividi poſſunt: In inſulas 1. circa Hiſpaniam, 2. circa Italiam. 3. circa Græciam ad partem Turciæ Europææ meridionalem.

Prope Hiſpaniam ſunt: Majorca, Minorca, Yvica.

Prope Italiam, Sicilia, Corſica, Sardinia.

Prope Græciam: Candia, Eubœa, hodie Negroponte, & pars inſularum in Archipelago.

Inſulæ maris Baltici ſunt ad Daniam Seelandia & Fionia, juxta Sveciam Olandia & Gothlandia.

2. De Inſulis Aſiaticis.

Plures circa Aſiam, quam circa Europam dantur inſulæ, ſiquidem in oceano prope Chinam & Indiam ſex claſſes, in mari vero Mediterraneo tres earum reperiuntur.

In oceano ſunt: 1. Japonicæ. 2. Philippinæ. 3. Moſuccæ. 4. Sundicæ. 5. Ceylanæ. 6. Maldivæ.

In mari Mediterraneo ſunt: 1. Cyprus. 2. Rhodus, 3. Inſulæ prope Natoliam in Archipelago, partem Turciæ Aſiaticæ conſtituentes.

3. De Inſulis Africanis.

Variæ quoque circa Africam notantur inſulæ, quarum una in mari Mediterraneo, ſex in oceano ſitæ ſunt.

In oceano ſunt: 1. Madagaſcar, cum vicinis, Komorra, Bourbon &c. 2. Inſula S. Thomæ cum adjacentibus, v. g. Annobon, Ferdinando, Pao &c, 3. Inſula S. Helenæ. 4. Inſulæ Capitis Viridis, 5. Inſulæ Canariæ. 6. Madera.

In Mediterraneo mari Malta eſt.

II. De Inſulis circa novum orbem atque terras incognitas.

In Americâ ſeptentrionali inſulæ quadruplici nomine diſtinguuntur & ſunt: 1. Inſulæ Terræ novæ. 2. Inſulæ Antillæ. 3. Inſulæ prope Californiam. 4. Azores.

Ex inſulis terræ novæ ipſa terra nova eſt præcipua. Antillæ in tres claſſes dividuntur. 1. In Antillas in ſpecie. 2. Lucayas & 3. Caribias.

Ad Antillas pertineant: Cuba, Hiſpaniola, Jamaica & Porto-Rico.

Ad Lucayas Bahama, Lucayoneca, & Guanahamia.

Inſulæ Caribes duplicis ſunt generis: 1. Ad ventum, nempe inſula S. Chriſtophori, Guadelupia, Martinica, Barbata, Montis ſerrati, S. Thomæ. 2.) Infra ventum, ſcilicet Inſula Trinitatis, Margaritæ, Curaſſoa, quæ ad Americam meridionalem proprie pertinet.

Ex Inſulis prope Californiam, hæc ipſa eſt præcipua.

Inter Azores prævalet Tercera.

Ad Americam meridionalem pertinent jam dictæ inſulæ infra ventum cum aliis prope littora Terræ firmæ jacentibus. Item Cayenna. Ad oram Braſiliæ reperitur Maragnan, prope Chili inſula Chiloe dicta, quibus aliqui inſulas Salomonis addunt.

Inſulæ circa terras incognitas ſitæ ſunt: verſus Septentrionem Islandia, Cumberlandia prope Canadam, & ex quorundam opinione Spitzberga. Verſus Meridiem hactenus nullæ, quæ alicujus momenti, ſunt detectæ.

Caput II.

De Diviſione Terræ in Peninſulas & Iſthmos.

PEninſula eſt pars terræ, quæ non undique mari cincta eſt, ſed alteri parti tractu arcto jungitur.

Isthmus est arctus terræ tractus intra duas aquas, qui duas majores terræ portiones jungit.

Horum in globo terrestri plures reperiuntur, prout ex sequentibus patebit.

I. De Peninsulis.

Peninsulæ duplicis generis constitui possunt: Quædam enim ipsas majores partes terræ firmæ exhibent; quædam tantummodo istarum portiones sunt.

Ratione prioris generis totus orbis antiquus ab oceano dividitur in tres peninsulas majores, Europam, Asiam & Africam.

Idem oceanus novum orbem in duas peninsulas, septentrionalem & australem, distinguit.

Quinque ergo dantur peninsulæ rerrarum firmarum nobis cognitarum. De duabus incognitis regionibus nihil hactenus nobis constat; igitur, utrum sint insulæ sive peninsulæ, dici non potest.

Peninsulæ, quæ tantum portiones peninsularum majorum sunt, iterum in duas classes majores dividuntur.

1. De Peninsulis Europæ.

Europa octo comprehendit peninsulas. Quatuor majores: 1. Scandinaviam, sive Sueciam & Norwegiam simul sumtam. 2. Hispaniam. 3. Italiam. 4. Græciam & partem Turciæ Europææ australem. Quatuor minores: 1. Terram firmam in Dania, nempe Jutiam. 2. Britanniam minorem in Gallia. 3. Moream & extremam partem Græciæ versus austrum. 4. Tauricam Chersonesum, sive peninsulam in Tartaria, minori.

2. De Peninsulis Asiæ.

Asia septem continet peninsulas. Quatuor majores: 1, Natoliam, sive Asiam minorem in Turcia Asiatica. 2. Arabiam. 3. & 4. Peninsulas duas Indiæ intra & extra Gangem. Tres minores: 1. Peninsulam regni Gusuratæ prope littora Mogolis imperii. 2. Chersonesum auream regni Malagæ, quæ partem peninsulæ majoris Indiæ extra Gangem constituit. 3. Coream, in extremis regni Chinensis finibus.

3. De Peninsuiis Africæ.

Quidam Geographi Africam, in duas partes majores, Lybiam atque Æthiopiam dividentes, duas peninsulas, efformant majores. Unica minor ibidem est pars Zanguebariæ in littore Ajan.

4. De Peninsulis Americæ.

America septentrionalis quatuor habet peninsulas. Unicam majorem: New-Southwalles, sive Walliam australem novam. Tres minores: 1. Acadiam in nova Francia. 2. Tegestam in Florida. 3. Jucatan in nova Hispania. In America australi neque major, neque minor datur Peninsula.

5. De Peninsulis terrarum incognitarum.

Multi ex Geographis credunt, novam Hollandiam in terra australi incognita, & Grönlandiam in septentrionali esse peninsulas.

II. De Isthmis.

Ex Isthmis orbis veteris quatuor præcipuè sunt notandi. In novo orbe unicus tantum datur. Plures omnino possent recenseri, si istos terræ tractus, quibus peninsulæ terræ firmæ adhærent, pro Isthmis habituri essemus, quia vero ex definitione patet, Isthmum propriè angustum terræ tractum intra duas aquas comprehensum significare, idcirco latum illud spatium peninsularum, quo terræ firmæ conjunguntur, missum facimus.

Isthmi veteris orbis sunt: 1. qui auream Chersonesum sive peninsulam Malagam cum peninsula Indiæ extra Gangem jungit. 2. Isthmus Precopensis, Crimæam Peninsulam Tartariæ minori annectens. 3. Isthmus Corinthiacus, jungens Moream Achajæ in Græcia. 4. Isthmus prope Suez, quo Africa cohæret Asiæ.

Isthmus novi orbis unicus est: Panamensis nempe, qui septentrionalem & australem Americam connectit.

Caput III.

De Divisione terræ in regiones

ab aquis penitus separatas, & eas, quarum littora alluit mare.

Dividitur tandem terra, præcipue firma major, sive Insula major, in regiones medium ipsius occupantes, atque à mari penitus separatas, & in regiones mari proximas, quæ littora vocantur.

Omnia regna illarum quinque partium, inter quas duæ nobis cognitæ terræ firmæ superius referebantur, ex mediis & mari proximis regionibus consistunt, (exceptis in Africâ, Nubia, Abyssinia & Monomotapa quorum regnorum fines nullo mari clauduntur) illuc igitur lectorem remittimus.

Præter hactenus dictas regionum divisiones considerari quoque potest superficies terræ, quatenus plana vel curva est, & quidem curva tam ratione profunditatis, quam ratione altitudinis. Si plana est, vocatur regio plana: si curva, tunc respectu profunditatis dicuntur valles, respectu vero altitudinis montes. De his tribus ultimum, montes videlicet, præ reliquis sunt notandi, hi vero iterum vel intra regionem se se extollunt, vel in mare excurrunt, & Caput sive Promontoria vocantur.

Prioris generis in Europa sunt:

1. Montes Pyrenæi, qui Hispaniam & Galliam separant.
2. Alpes sive Helvetiæ montes, Italiam à Gallia & Germaniâ separantes.
3. Juga Carpathica, intra Poloniam & Hungariam.
4. Juga Costegnas dicta, Turciam Europæam in septentrionalem & australem dividentia.
5. Montes Riphæi Cameny Poyas, in Moscovia versus Septentrionem.
6. Juga Sveciam à Norwegiâ separantes, Darefield dicta.

In Asiâ sunt,

1. Tauri montis jugum in Turcia Asiatica.
2. Caucasus, regnum magni Mogolis à Tartariâ distinguens.
3. Montes Sinai atque Horeb in Arabia petræâ, ex s. Scripturis noti.
4. Mons Ararat in Armenia.
5. Montes Chinenses inter Chinam & Tartariam.
6. Juga Gatæ, quæ versus mediam partem peninsulæ Indiæ extra Gangem tendunt.

In Africa reperiuntur,

1. Montes Lunæ in finibus Monoëmugi.
2. Atlas mons, Barbariam à Biledulgerid separans.

In Americâ celebrantur,

1. Apalachica juga intra novam Franciam & Floridam.
2. Andes, in Americâ meridionali versus Chili per regnum Peruvianum se extendentes. Hos montes terrarum altissimos esse credunt Geographi.

Posterioris generis dantur in orbe veteri,

1. Promontorium, in littoribus Norwegiæ versus Septentrionem, hinc Nord-Cap dictum.
2. Caput Finis terræ in littoribus Hispaniæ septentrionalibus.
3. Caput S. Vincentii itidem in Hispaniâ versus Meridiem.
4. Promontorium album in littoribus Nigritarum septentrionalibus, Cap-blanc appellatum.
5. Caput viride in medio littorum Nigritarum.
6. Caput bonæ spei in Africa in littoribus Cafferiæ.
7. Caput Gardafu in Sinu Arabico.
8. Caput Razalgate in littoribus Arabiæ versus Orientem.
9. Caput Comorin in littoribus australibus Indiæ intra Gangem.
10. Caput Liampo in littoribus Chinæ orientalibus.
11. Caput Glaciei in littoribus Tartariæ orientalibus.
12. Caput Tabin in iisdem littoribus versus Septentrionem.

In novo orbe reperiuntur,

1. Caput Caroli in littoribus Canadæ, Cap Charles hinc dictum.
2. Caput Ferward in littoribus terræ Magellanicæ.
3. Caput S. Augustini in Brasilia versus Orientem.
4. Caput Corientes in nova Hispania versus Occidentem.

PARS SECUNDA.

De Hydrographia, sive aquarum descriptione,

Sicut in descriptione terrarum triplici modo illarum divisionem consideravimus, ita & in aquarum perlustratione tot occurunt divisiones. Primò constat, terram non undique aquis cingi, sed easdem interrupta serie in partes majores & minores distingui, unde majores vocantur maria, minores lacus atque fluvii.

Secundo cum aqua vel terram fere ambit, vel illa aliquâ ex parte cingitur, hinc oritur divisio in oceanum, sinum & fretum.

Tertio

Tertio, quia pars aquarum vel à terris separata, vel iis proxima, ideo emergit distinctio in oceanum & littus.

Sequitur ex prædictis, omnes aquas dividi posse in maria, lacus & fluvios; Maria vero subdividi in maria, sinus & freta, de quibus in sequentibus,

Caput I.

De Maribus.

Omnia in globo terrestri maria generali nomine oceanus appellari possunt, oceanus autem relatus ad quatuor mundi plagas dividitur in orientalem, occidentalem, meridionalem & septentrionalem.

Oceanus orientalis alio nomine dicitur etiam Indicus, quia Indiam, notissimum Asiæ regnum, alluit. Meridionalis oceanus vocatur æthiopicus, adjacens nempe Æthiopiæ in Africâ. Oceanus occidentalis appellatur Atlanticus, ob montem Atlantem, qui in Africâ è regione hujus reperitur. Septentrionalis plurimam partem glacialis dicitur, quoniam continuo frigore congelascit.

Subdividuntur hi quatuor Oceani in maria. Indicus nempe in tria: 1. Chinense. 2. Indicum. 3. Arabicum. Æthiopicus quoque in tria: 1. Zangebaricum. 2. Cafferium. 3. Congicum. Atlanticus sex maria suppeditat, 1. Mare Guineæ. 2. Mare Capitis viridis. 3. Mare ad insulas Canarias. 4. Mare Hispanicum. 5. Mare Gallicum. 6. Mare Britannicum. Oceanus septentrionalis quatuor comprehendit: 1. Mare Germanicum. 2, Mare Danicum.. 3. Mare Moscovicum, 4. Mare Tartaricum.

Oceanus orbis novi pari ratione in tria subdividitur maria: 1. In mare septentrionale. 2. australe sive pacificum. 3. Magellanicum.

Vocantur autem mare septentrionale atque meridionale ex impositione Christophori Columbi, ob Isthmum Panamicum inter duo maria jacentem, & Americam septentrionalem cum australi conjungentem, respectu cujus alterum septentrionale alterum meridionale merito dici potest.

Mare Magellanicum à Magellano, qui primus in hoc navigavit, appellatur.

Mare septentrionale in quatuor subdividitur maria: 1. Mare prope Canadam in nova Francia. 2. Mare Mexicanum in nova Hispania. 3. Mare septentrionale in specie. 4. Mare Brasilienſe.

Mare pacificum sive australe quatuor alia continet: 1. Mare prope Jesso. 2. Mare Californium, juxta regionem Mexicanam novam. 3. Australe in specie. 4. Mare Peruvianum.

Mare Magellanicum ex tribus: 1. Chilensi. 2. Magellanico, & 3. Paraguayico componitur.

Caput II.

De Sinibus & Fretis.

Sinus maris vel oceani dicitur pars aquæ, quæ inter duas terras ex oceano se insinuat. Italis dicitur Golfo.

Sinuum duæ dantur species: majores, qui etiam maria vocantur ob magnitudinem; minores, qui sunt Sinus proprie dicti.

Majores in orbe veteri sunt tres,

1. Mare Mediterraneum inter Europam & Africam.
2. Mare rubrum inter Asiam & Africam.
3. Mare Balticum iner Germniam, Sveciam & Daniam.

In novo orbe duo:

1. Mare Mexicanum, inter Americam meridionalem atque septentrionalem & insulas Antillas.
2. Mare Christianum inter Canadam & regiones septentrionales.

Minores in orbe veteri sunt vel in Oceano, vel in mari Mediterraneo, vel in mari Baltico.

In Oceano sunt,

1. Sinus S. Thomæ. 2. Sinus Persicus prope Ormundum. 3. Sinus ad Cambaiam. 4. Sinus Gangeticus prope Bengalam. 5. Sinus Siamensis. 6. Sinus Cochinchinæ. 7. Sinus de Nanquin. 8. Sinus Russicus sive mare album in oceano septentrionali.

In Mari Mediterraneo sunt,

1. Sinus Lugdunensis in Gallia. 2. Sinus Adriaticus inter Italiam & Græciam. 3. Archipelagus. 4. Mare nigrum &c.

In Mari Baltico sunt,

1. Sinus Rigensis in Livonia. 2. Sinus Dantiscanus in Polonia Prussica. 3. Sinus Finlandicus inter Finlandiam & Livoniam. 4. Sinus Botnicus, qui est pars septentrionalis maris Baltici.

Minores in novo orbe sunt duo:

1. Sinus S. Laurentii in novâ Franciâ. 2. Sinus Panamicus in Isthmo Panamico.

II.

Fretum dicitur pars Oceani inter duas terras angusto tractu decurrens, Gallice Detroit, Italice Stretto, Germanice Canal oder Strasse dicitur.

Hujus generis in orbe veteri plura dantur:

I.

In Oceano: 1. Fretum Babelmandel, inter Asiam & Africam, quod mare rubrum cum oceano connectit.

2. Fretum Manar inter Indiam intra Gangem & insulam Ceylan.

3. Fretum prope Malacam inter Indiam extra Gangem & insulam Sumatram.

4. Fretum de la Sonde inter insulam Sumatram & Javam.

II.

In Europa sunt: 1. Fretum Gallicum, Pas de Calais, inter Galliam & Angliam.

2. Fretum Oresundicum, der Sund, conjungens oceanum cum mari Baltico inter Zeelandiam & Sveciam.

3. Fretum Weigats inter Moscoviam & Novam Zemblam.

III.

In Asia sunt: 1. Fretum Zungar inter insulas Japonicas atque Tartariam.

2. Fretum de Picko inter Tartariam & insulam Staaten Land.

3. Fretum Uriez inter regionem Jesso & modo dictam insulam.

IV.

In mari mediterraneo datur: 1. Fretum Gaditanum, Europam ab Africa separans, oceanum autem cum mari mediterraneo conjungens.

2. Fretum inter Italiam & Siciliam prope Messanam.

3. Fretum prope Gallipolin & Hellespontum, Archipelagum cum mari Marmoreo connectens.

4. Fretum Constantinopolitanum, Propontidem cum mari nigro copulans.

5. Fretum Capha intra mare nigrum & mare Zabacha.

In novo orbe sex dantur freta,

1. Fretum Magellalicum, inter terram Magellanicam & terram ignis, sive del Fuego.

2. Fretum Maires.

3. Fretum Prouvers.

4. Fretum Hudsonii.

5. Fretum Davis.

6. Fretum Forbiesters versus Septentrionem.

Inter Mexicum novum & Californiam reperitur mare rubrum, Vermejo dictum, freto, nisi quod paulo latius sit, non dissimile.

Caput III.

De Lacubus & Fluviis.

I.

Lacus dicitur copia aquæ, undique terris cincta & à mari separata. Vocatur interdum mare, pro ratione magnitudinis.

Horum in Hemisphærio nostro septentrionali dantur duo:

1. Mare Caspium in Persia.
2. Mare Tracy, in Canada, quæ est Americæ regio.

Lacus minores sunt:

1. In Europa: Ladoga & Donega, inter Sveciam & Moscoviam.

2. Lacus Venerus in Svecia.

3. Lacus Lemanus, inter Sabaudiam & Helvetiam.

In Asia intra Chinam & Mogolis regnum in parte Tartariæ meridionali unicus datur lacus, Chimoy dictus.

In Africa plures reperiuntur: Duo in regione Nigritarum prope Borno & Garde. Lacus Niger inter Congo & Æthiopiam. Duo alii in Æthiopia prope Zaflan & Zaire.

In America quatuor sunt : Lacus Nicaraga in Hispania nova. Lacus populorum Ilinoicorum. Lacus Erie & Frontenac in nova Franciâ.

II.

Fluvii sunt aquæ exiguæ latitudinis, â fontibus usque in mare profluentes.

Fluvii Europæ præcipui sunt,

In Germaniâ:

Danubius, qui per hanc & Turciam ab Occidente versus Orientem in mare nigrum effluit.

Rhenus â Meridie versus Septentrionem in Belgium fluit, ibidem successive in quatuor fluvios dividitur.

In Moscovia:

Wolga, â finibus Poloniæ in mare Caspium excurrit.

In Polonia:

Borysthenes, â Septentrione versus Meridiem in mare nigrum tendit.

In Galliâ:

Rhodanus in Mare mediterraneum labitur.

Sequana, Ligeris & Garumna oceanum occidentalem influunt.

In Hispania:

Tagus per Portugalliam in mare Atlanticum tendit.

In Italiâ:

Eridanus, in mare Adriaticum, & Tiberis, in mare Tuscum labitur,

In Angliâ:

Tamesis, transverso per regnum tramite in oceanum septentrionalem profluit.

Fluvii Asiæ præcipui sunt,

In Turciâ Asiatica:

Tigris, in regione Diarbecker. Euphrates in Turcomanniâ, uterque sinum Persicum influit.

In regno magni Mogolis.

Indus, in mare Arabicum, & Ganges in mare Indicum volvitur.

In India extra Gangen.

Menan, tendens ad Sinum Siamensem. Pegu & Mecou, quorum ultimus versus insulam Borneo in Oceanum orientalem fluit.

In China:

Kiam & Ho-amko.

In Tartaria;

Obius, Tachemin, Lena, Lamur, & Joacartes.

Fluvii Africæ præcipui sunt,

In Abyssiniâ:

Nilus, qui per totam Ægyptum ad mare mediterraneum tendit.

In Nigritarum Regione:

Niger, mediam transiens Lybiam, in oceanum effunditur.

In Congo:

Fluvius, Zaire ab incolis dictus.

In Monoemugi:

Fluvius, Zembere nominatus.

Fluvii Americæ septentrionalis præcipui sunt,

In Nova Franciâ:

Fluvius S. Laurentii in sinum S. Laurentii fluens.

In Canada:

Missisipi, ingens est, & è Septentrione versus Meridiem per hanc regionem in mare Mexicanum se effundit.

Fluvii Americæ australis tres præcipui:

In regione Amazonum:

Amazonum fluvius, currens per hanc regionem in mare Atlanticum.

In regione Paraguay:

Plata, fluvius argenteus etiam dictus, in mare Paraguaycum profluit.

In Terrâ firmâ:

Fluvius Paria sive Dorenoque dictus, in oceanum septentrionalem fluit.

LIBER III.

De

GEOGRAPHIA HISTORICA.

TErtia atque ultima pars Geographiæ per divisionem superiorem est *Geographia Historica*, quæ superficiem terræ, quatenus è multis regionibus constat, duplici modo, scilicet vel pro diversitate imperiorum regnorum, rerum publicarum &c. vel pro diversitate religionum consideratur, quorum alterum ad Geographiam politicam, hoc verò ad Geographiam sacram pertinet. De utraque breviter in sequentibus agemus.

PARS PRIMA.

De divisione regionum in imperia, regna, respublicas.

NOstri non est instituti, singulos dominatus speciali perlustrare consideratione, sed tantum præcipuos quatuor terræ partium status proponere, & primò quidem eos, qui in Europâ reperiuntur.

Caput I.

De præcipuis Europæ Statibus.

EUropa merito sedes multorum magnorumque Statuum appellatur, siquidem tria potentissima Imperia, octo magna Regna, quinque præclarissimas Respublicas, multosque præterea insignes continet Dominatus. Ex his primo Imperia, tanquam status primarii, paulò curatius veniunt consideranda.

I.

De Imperiis.

1. Imperium Germanicum.

Germania ingens terræ tractus, titulo Romani Imperii gaudet, & ultra trecenta agnoscit dominia, è quibus, pro ratione instituti, præcipua tantum breviter enarrabimus.

Placet autem sequi divisionem Germaniæ in decem Circulos, ab Imperatore Maximiliano I, duobus abhinc seculis institutam, quorum 1. Austriacus. 2. Franconicus. 3. Bavaricus. 4. Svevicus. 5. Saxoniæ superior. 6. Saxoniæ inferior. 7. Westphalicus. 8. Rhenanus superior. 9. Rhenanus inferior. 10. Burgundicus, vocatur.

I.

Ad Circulum Austriacum, Imperatori, tanquam ArchiDuci Austriæ, parentem, pertinent.

1. *Archi-Ducatus Austriæ*, qui in inferiorem & superiorem dividitur.

In Austria inferiore metropolis est *Vienna*, sedes Romani Imperatoris, elegans & si suburbia annumeres, copiosa urbs, valida insuper, & fortissimum Germaniæ contra Turcas propugnaculum, gaudet Archiepiscopo & Academia; Technematotheca, Bibliotheca & suburbana prædia, præ reliquis digna sunt visu. Hanc sequitur *Novostadium* sive Newstatt, Viennensis dicta, & probè munita, item *Gremesa*, duabus nundinis celebris.

In Austriâ superiore caput est *Lincium*, magnifica atque ædificiis splendida urbs. Singulis annis duæ ibidem celebrantur nundinæ, præterea arx Cæsarea memoratu quoque digna est. Inter reliquas urbes *Anissus* (Ens) & *Stira* prævalent, quarum prima nobile habet armamentarium, altera ob ferri mercaturam insignis est.

2. *Ducatus Styriæ*, qui eidem in superiorem & inferiorem dividitur.

Inferioris Styriæ caput est *Græcium*, pulcherrima urbs & probe munita, cui adjacet castellum in rupe excelsa. Ingens hic Nobilium copia, & regimen, est totius Ducatus. Notanda deinde sunt duo castella *Rackelsburg* & *Czackenthurn*, versus Hungariam sita.

Superioris Styriæ caput est *Judenburgum*, quo pertinet monasterium Cella Mariæ, Marien-Zell dicta, sacris peregrinationibus celebris; item *Cilleja* seu *Cilly*, urbs antiqua in Comitatu ejusdem nominis. Loiben est urbs ob insignes ferri fodinas notanda.

3. *Ducatus Carinthiæ*, qui etiam in superiorem & inferiorem dividitur. Superior maximam partem in montibus, inferior autem in plano situs est.

Caput totius regionis est Clagenfurtum sive Klagenfurt, pulchra & munimentis cincta urbs, præter hanc undecim aliæ adhuc reperiuntur, quarum quatuor pertinent ad Ducatum, reliquæ Salisburgensi & Bambergensi Dominio subsunt.

4. *Ducatus Carniolæ*, hic â quibusdam in quinque partes, â quibusdam vero in pauciores dividitur.

Caput totius Ducatus est Labacum sive Laubach, urbs â fluvio hujus nominis dicta, antiquis temporibus jam nota fuit, hactenus vero pulchrioribus ædificiis aucta & ornata. Reliquæ urbes sunt *Carnioburgum*, *Auersberga*, *Rudolphiverdia*, *Metulum*, *Mitterburg &c.*

5. *Comitatus Tyrolis*, cujus caput *Ænipons*, urbs præclara, non procul ab hac sita est arx magnifica, *Ambras* dicta, ob technophylacium celeberrima. Hanc sequitur *Bolzanum*, ob mercaturam, & *Hala* ob salinas insignis. Multa hic comitatus habet castra & transitus probè munitos, præcipuè *Kufstein*, *Clusam Ehrenburg*, *arcem Kofel*, & *Arco*.

6. *Episcopatus Tridentinus* & *Brixienses* quodam modo ad hunc quoque circulum pertinent. In illo *Tridentum* ob concilium A. 1545. ibi celebratum, in hôc *Brixia* caput atque sedes episcopi notanda. Ambæ urbes ab antiquis jam temporibus claruerunt.

7. *Variæ ditiones in Suevia*, urbesque domui Austriacæ subjectæ, & sunt: Marchionatus Burgaviæ, ubi *Burgavia* metropolis, dynastia Hohenbergensis, Bregantia, Feldkircha, comitatus Montfortensis & dynastia Nellenburgica. Deinde *Constantia*, urbs egregia & optime sita, ob diversa concilia celebris, & quædam oppida ad Danubium, v. g. *Ehingen* & quatuor civitates sylvestres *Waldshutum*, *Seconium*, *Rheinfelda* & *Lauffenburgum*.

8. *Brisgovia*, in quâ secundum articulos pacis ad Austriam pertinet *Brisacum*, munimentum fortissimum, & à duabus obsidionibus notissimum. *Friburgum*, etiam munimentis firmum, diversas quoque obsidiones expertum est. Villinga, A. 1704. â Gallis sub Duce Tallardo frustraneo conatu obsessa. Tellus in hoc Circulo fertilis est, inprimis suppeditat vinum, præcipue in Austria, Carniolâ, comitatu Tyroli, Styria, & supra nominatis episcopatibus duobus nobile reperitur vinum, nec desunt metalli-fodinæ, v. g. in Carinthia, & comitatu Tirolensi dantur fodinæ argenti: in Styria diversæ, præcipuè ferrariæ. Austria quoque optimum fert crocum, Tyrolis habet salinas, Animalia insuper & feræ abundanter adsunt.

II.

Ad Circulum Franconicum sequentes Ducatus, Episcopatus atque Urbes Imperiales referuntur:

1. *Marchionatus Onolsbacenses*, cujus caput *Onoldinum*, sedes Principis; ibi technophylacium perlustrari meretur. Inter oppida prævalent *Guntzenhausen* & *Schwabacum*.

2. *Marchionatus Culmbacenses s. Byrutinus*, ubi *Byruthum* metropolis & sedes Principis. Anno 1664. fundatum est ibi gymnasium Christiano-Ernestinum. Ex reliquis urbibus præcellunt *Culmbacum*, *Erlanga*, *Curia* s. Hoff, &c.

3. *Principatus Hennebergicus*, cujus potissimæ urbes *Mainunga* & *Schleussinga*, gymnasio celebris.

4. *Comitatus Schwvarzenbergicus*, ab A. 1671. in Principatum evectus. Porro quoque Comitatus *Hohenloicus*, *Wertheimensis*, Lœvvensteinensis, Castellensis, Erpacensis, Reineccensis, Dernbacensis &c. aliique Nobilium Imperii dominatus.

Episcopatus hujus Circuli sunt tres:

1. *Bambergenses*, cujus caput atque sedes Episcopi est *Bamberga*, urbs ampla, refertur inter quatuor sic dictos Imperii pagos, quia nullis muris cincta. *Forchemia* insigne fortalitium post hanc præ reliquis notanda.

2. *Herbipolitanus*, ubi sedes Episcopi & Ducum Franconiæ est *Herbipolis*, urbs vallis, muris & propugnaculis probè munita. Extra urbem situm est in monte Castellum Frauenburg dictum. Vineta hujus regionis, ubi nascitur vinum generosum der Stein-Wein, sunt notanda. Sequuntur *Kitzinga*, *Ochsenfurtum*, *Gemunda* & *Kœnigshofia*.

3. *Aichstadienses*, cum ejusdem nominis urbe *Aichstadio*, prope quod situm est castellum S. Wilibaldi, sedes Episcopi, in rupe excelsa.

Ad hunc Circulum quoque pertinet *Ordo Teutonicus*, cujus sedes est *Mergenthemium*.

Civitates Imperiales, quæ ad hunc Circulum pertinent, sunt quinque, harum præcipua est *Noriberga*, nobile emporium, ubi perpetuo asservantur Insignia Imperii: Corona s. Imperialis, Sceptrum, Pomum &c. & sacræ Reliquiæ. Academia, quæ *Altdorfii* floret, huic subjacet. Reliquæ sunt *Rotenburgum*, *Weissenburgum*, *Svveinfurtum* & *Winshemium*.

Frugum atque vini ferax in hoc Circulo tellus est; in parte Franconiæ meridionali datur frumentorum copia, in parte septentrionali abundanter generatur vinum; breviter: varia hominum usui inservientia hic reperiuntur.

III.

Ad Circulum Bavaricum referuntur:

1. *Ducatus Bavariæ*, cujus metropolis & sedes electoralis est *Monachium*, urbs Germaniæ pulcherrima, techno- & gazophilacio celeberrima. Præterea præcipuum fortalitium in hoc ducatu est *Ingolstadium*, ubi & Academia floret. Sequitur *Landshutum*, ibi spectanda ad templum S. Martini turris, quæ inter altissimas Germaniæ refertur. *Straubinga*, *Burckhusia*, ubi, sicut & in prædictis duabus urbibus, præfectura est, sive regimen.

2. *Palatinatus superior*, cujus maxima pars est *Palatinatus electoralis*, ibi caput est *Amberga*, in cujus regione dantur ferrariæ fodinæ civium commercio commodæ. Alteram partem constituit *Ducatus Solisbacensis*, ubi *Solisbacum* caput & sedes Principis. Tertia pars est *Landgraviatus Leuchtenbergensis*, ubi *Pfreimda* urbs primaria. Quarta pars dicitur *Principatus Sternsteinensis*, & quinta *Comitatus Sulzbergensis*.

3. *Ducatus Neoburgicus*, qui hoc tempore ad Palatinatum electoralem quoque pertinet; hic notandum præ reliquis *Neoburgum*, inde nomen ducit familia quædam è domo Palatinâ orta. Deinde *Lauginga* & *Hochstædtium*, quod insigni contra Gallos & Bavaros victoriâ claret.

4. *Episcopatus Salisburgenses*, cujus caput & sedes Episcopi est *Salisburgum*, elegans & probè munita urbs, ubi templum cathedrale, technophylacium, aliaque ædificia pulchrè exstructa, digna sunt notatu.

5. *Tres Episcopatus: Ratisbonenses, Freisingenses & Passavienses.* *Ratisbonenses* ab antiquis temporibus circa urbem Ratisbonam innotuit. In *Freisingenses* sedes episcopalis est *Freisinga*; In *Passavienses* metropolis est *Passavium*, ampla & præclaris ædificiis decorata urbs, ob Transactionem Passavienses celebris. Huic Circulo adnumeratur quoque *Præpositura Berchtolgadensis*.

Vrbes Imperiales hujus Circuli sunt *Ratisbona* & *Donavverda*, illa ob perpetua Imperii comitia, hæc ob prælium ad montem Schellenbergensem notissima, jam vero municipalis Electori Bavariæ subdita.

Hujus Circuli regio itidem frugifera, & quamvis solum Salisburgense sit montosum, sale tamen, fodinis, pecuariis, feris & piscibus abundat.

IV.

Circulo Suevico insunt:

1. *Ducatus Würtembergicus*, potentiâ reliquis in hoc Circulo prævalet; præcipua hujus urbs & sedes Principis *Stutgardia*, in quâ arx, conclave Ordinis equestris, sacellum aulicum, & technophylacium visu digna sunt. Ad hunc Ducatum pertinent quoque Ducatus *Vrslingen* & *Teccæ*, comitatus Monsbelligardensis, comitatus Asperg, Aurach, Græningen, Heidenheim.

Dein notanda sunt *Tubinga*, antiqua & celebris Academia, item *Schorndorfium* locus munitus.

2. *Marchionatus Badenses*, qui ob duplicem genituram Marchionum in *Badensem* & *Durlacensem* dividitur, s. in superiorem & inferiorem.

In superiore *Badena* caput est, belli temporibus multa perpessa; notandum quoque *Rastadium*, sedes hactenus Marchionissæ Viduæ, ubi A. 1714. die 6. Martii pax sancita. Præterea huc referuntur pars de comitatu Spanheim & Eberstein, nec non quædam in Ducatu Lucemburgensi, in Bohemia & Suevia.

In inferiore caput & sedes Principis est *Durlacum*, temporibus belli Gallici A. 1688. itidem perpessum mala, quæ & *Pfortzemo* obtigerunt, urbi post Durlacum præcipuæ. Huic Marchionatui insunt & aliæ dynastiæ, scilicet Hochburg, Sausenberg, Rötteln, Badenweiler, & Lohr.

3. *Principatus Hohenzolleranus*, ubi *Zollernum* locus gentis natalis est, sedes Principum, urbs munita & in sublimi sita. Huc pertinent comitatus *Veringa*, *Sigmaringa*, *Heigerlocha*, &

Wehrſteinium. Sigmaringa & Veringa oppida habent ejusdem nominis.

4. *Principatus Oettingenſis*, qui pars eſt Comitatus inſignis, huius caput & ſedes Principis eſt *Oettinga*, mediocris conditionis, reliqua pars titulo Comitatûs gaudet.

5. Pari modo & *Furſtenbergicum* territorium in Principatum & Comitatum dividitur.

6. *Principatus Mindelheimenſis*, qui Bavariæ ſubeſt, ibi urbs primaria *Mindelhemium* vocatur.

7. *Epiſcopatus Auguſtanus, Conſtantienſis*, & *Curienſis* in Helvetiâ. Sedes Auguſtani Epiſcopi eſt *Dillinga*, circa urbem Auguſtam jura exercentis. Conſtantienſis ſedet *Mersburgi* prope lacum Podamicum; Loca Epiſcopalia ut plurimum in *Turgovia* ſita, quibus adjunguntur quædam loca ultra citraque Podamicum, item *Reichenavia* Abbatia & præpoſitura *Oeningenſis*. Neque Conſtantia, neque Auguſta Vindelicorum his Epiſcopatibus ſubſunt. Curienſis vero jus dicit *Curiæ*, quæ & ſedes atque caput eſt Epiſcopatus.

8. *Abbatia Campidunenſis, Buchavienſis & Lindavienſis*, item Præpoſitura *Elvangenſis*.

Sunt & varii Comitatus in hôc Circulo, ut: Oettingenſis, Pappenheimenſis, Sinzendorfenſis, Furſtenbergenſis, Montfortenſis, Königseckenſis, Sultzenſis, Hohen Emſiorum, Fuggerorum &c. &c.

Civitates Imperiales hujus Circuli ſupra triginta reperiuntur, ex quibus *Auguſta Vindelicorum*, *Ulma*, celebres atque amplæ urbes, porro *Memminga*, *Nordlinga*, *Heilbrunna*, *Rotevilla*, *Lindavia*, & *Ravenſpurgum* præcipuæ ſunt.

Hic Circulus nec frugibus nec vino caret; Acidulæ quoque & thermæ paſſim, præcipuè in Ducatu Würtembergico, reperiuntur.

V.

Circulo ſuperioris Saxoniæ adſcribuntur:

1. *Ducatus Saxoniæ*, ſive Saxonia Electoralis, cujus metropolis *Witteberga*, munimentis firma, inſuper Academiâ celebris.

2. *Marchionatus Miſniæ*, qui in diverſos ſubdividitur Circulos, videlicet, Miſnienſem, Lipſienſem, diſtrictum metalliferum, territorium Weiſſenfelſenſe, Martisburgenſe & Zizenſe, Variſciam, & Altenburgum.

In Diſtrictu *Miſnienſi* caput atque ſedes Electoralis eſt *Dreſda*, egregiè munita, ubi armamentarium, ob copiam varii generis armorum, equile, ob diverſa conclavia & multifarium equorum ornatum, pretioſiſſimumque technophylacium maxime notari merentur. *Miſnia* fuit quondam urbs primaria Marchionatus Miſnienſis.

In Diſtrictu *Lipſienſi* præcellit *Lipſia*, nobiliſſimum emporium, ubi Academia & Muſarum ſedes.

In Diſtrictu metallifero primò *Freyberga* nominanda, ob æris fodinas & ſepulturam Electorum clara; hanc excipiunt *Annæberga*, *Catharinæberga*, *Schneeberga &c.* A fodinis hic diſtrictus nomen accepit.

Horum diſtrictuum Dominus eſt Elector Saxoniæ, ad quem pertinent quoque quædam in Variſciâ & Thuringiâ, ut & tota Luſatia ſuperior.

In territorio *Weiſſenfelſenſi* ſedes Principis Saxoniæ eſt *Leucopetra*, ubi arx Auguſtea, & Gymnaſium illuſtre.

Huc etiam refertur Principatus *Querfurtenſis*, in quo *Querfurtum*, Comitatus *Barbienſis*, & quædam præfecturæ in Thuringiâ.

Territorii *Martisburgenſis* caput & ſedes Principis Saxonici eſt *Martisburgum*, quod antiquitate nulli Saxoniæ urbium cedit; illuſtre ibi floret Gymnaſium. Huc pertinent quoque *Delicium*, *Sorbiga &c. &c.* & maxima pars Luſatiæ inferioris, in qua *Lubbena* urbs primaria.

In Territorio *Zizenſi* ſedes Principis Saxonici eſt *Tiza ſ. Citium*, ubi arx præclara, templum cathedrale ſplendidum & Gymnaſium illuſtre, hanc excipit *Naumburgum* ad fluvium Salam.

Huic ſubjacent in Hennebergico comitatu oppida *Schleuſinga* & *Sula*, non procul â ſe invicem diſtantia, it. præfectura *Rundorff*, & magna pars Variſciæ cum urbe ejus primariâ, *Plavia* dicta, aliisque præfecturis. Hunc Ducatum hactenus Elector Saxoniæ poſſidet. Cætera in Voigtlandia partim ad Electorem, partim ad Marchionem Culmbacenſem, partim ad Comites de Reus pertinent.

In Ducatu *Altenburgico*, Oſterlandia dicto, *Altenburgum* prævalet, qui locus â Colloquio inter Theologos Electorum & Principum habito notus; jam Gothano & Vinarienſi Ducibus ſubeſt.

3. *Landgraviatus Thuringiæ* varios agnoſcit Dominos. Maxima pars ad Electoratum Saxoniæ, ad Duces Weiſſenfelſenſem, Vinarienſem, Gothanum, Iſenacenſem & Salfeldenſem pertinet; Elector Moguntinus ſibi vindicat *Eisfeldiam* cum urbe *Erfordia*. Reliqua ſunt Comitum. Vinaria, Gotha, Iſenacum & Salfeldia ſunt nomina urbium prædictorum Ducatuum, & ſedes Principum. Academia Jenenſis celebris Dominum agnoſcit Ducem Iſenacenſem.

4. Principatus *Schvvartzburgicus* & *Coburgenſis*. Prior in duos ramos diviſus duas ſedes ducales habet, *Rudolphopolin* ſcilicet & *Sondershuſium*. Poſterioris urbs præcipua eſt *Coburgum*, ubi A. 1604. Gymnaſium illuſtre fundatum. Hanc ſequuntur *Hilpershuſia*, *Heldburgum &c.* Poſſeſſores hujus Ducatus Dux Salfeldenſis & Meinungenſis ſunt.

5. Principatus *Anhaltinus*, ex antiquiſſimis in Germaniâ, urbes poſſidet *Serveſtam*, *Deſſaviam*, *Bernburgum* & *Cothenium*, tanquam ſedes ducales Principum hujus Ducatus in quatuor ramos diviſorum.

6. *Abbatia Quedlinburgenſis*, ubi *Quedlinburgum* præcipuus locus.

7. *Marchionatus Luſatiæ*, in ſuperiorem & inferiorem diviſus. In ſuperiore *Budiſſa*, tanquam caput, *Gorlitium*, *Zittauia*, *Lauba*, *Læbavia*, & *Camentia* κατ' ἐξοχην *Sex Vrbium* nomine veniunt, & ad Electorem Saxoniæ pertinent. Ex inferiore tam Martisburgenſis Dux, quam Rex Boruſſiæ quædam poſſident.

8. *Marchia Brandenburgica*, diviſa in quinque partes, quæ ſunt: Marchia vetus, Marchia media, Marchia nova, Marchia Uckerana & Prignitia.

In Marchia veteri caput eſt *Stendalia*, ubi præfectura hujus diſtrictûs. Sequuntur *Gardelegia*, *Tangermunda*, *Soltquella* &c.

In Marchiâ media *Berolinum* regia & electoralis ſedes eſt, inter Germaniæ urbes pulcherrima & ampliſſima. Arx regia, bibliotheca & technophylacium præſtantiſſima ſunt. Notandum etiam *Brandenburgum*, *Francofurtum* ad Oderam, ubi Academia, & *Spandavia* fortalitium &c.

In Marchiâ Nova *Cüſtrinum*, munimentum præſtantiſſimum, reperitur, in hoc regimen hujus Marchiæ eſt. Huic adde *Drieſam*, *Landsbergam*, *Sternbergam* &c. &c.

In Marchia Uckerana *Prenslavia* notanda, it. *Lochnitium* & *Templinum*.

In Prignitia caput eſt *Perleberga*, quam ſequuntur *Witſtochium*, *Havelberga* &c.

9. *Ducatus Pomeraniæ*, citerior & ulterior. Citerior paret Regi Sueciæ, & dividitur in tres diſtrictus: Stetinenſem, Gutzkovienſem & Barthenſem, quo pertinent etiam inſulæ Rugia, Vſedomia & Wollina.

In Stetinenſi primaria urbs *Stetinum*, & amplitudine & firmitate fulgens. Reliquæ ſunt *Damum*, *Anclamum*, *Demminum* &c. &c.

Gutzkovienſis diſtrictus habet *Gutzkoviam*, urbem quondam celebrem, nunc exiguum vicum, it. *Wolgaſtiam*, quæ arcem habet, olim Ducum Pomeraniæ ſedem: tandem *Grypsvvaldiam*, magnam ſatis & Academiâ inſignem.

In Barthenſi *Bardum*, locus exiguus, prope mare. *Stralſundia*, urbs munitiſſima, & ob portum mercatoribus opportuna. *Damgarten* in confiniis Mecklenburgicis.

In Rugia *Berga* præ cæteris notanda. In Vſedomia exiguum & muris carens oppidum, *Vſedomia* dictum, antiquis temporibus amplum & munitum. In Wollinia oppidulum *Wollinum*, ubi quondam arx ducalis.

Pomerania ulterior paret Regi Boruſſiæ, dividitur in Pomeraniam ulteriorem in ſpecie, cujus caput *Stargardia*, locus conſideratu dignus, deinde *Caminium*, quod ante aliquot annos ignis furorem perpeſſum.

Deinde in Ducatum Caſſubiæ, cujus primaria Urbs *Colberga*, emporium celebre, ubi & ſalinæ. Sequuntur *Coſlinum* & *Belgardia*.

Tandem in Ducatum Venedorum, ubi *Rügenvvalda* locus præcipuus, poſt hanc *Stolpa* notanda.

Huc quoque pertinent Dynaſtiæ Lauenburgica & Bütavienſis, olim Polonico, nunc Boruſſico Sceptro ſubjectæ.

Huic Circulo adjunguntur quoque aliqui Comitatus: v. g. Mansfeldenſis, Hohenſteinenſis, Stolbergenſis, ut & urbes Imperiales, *Mulhuſia* & *Northuſia*.

Omnia ferme ad ſuſtentationem hominum neceſſaria in hujus Circuli regionibus reperiuntur; Metalli fodinæ plures

plures dantur, ſicut diſtrictus Miſniæ metallifer abunde teſtatur.

VI.

Circulo Saxoniæ inferioris adnumerantur:

1. *Ducatus Magdeburgenſis*, cujus caput *Magdeburgum*, in quo eccleſia Cathedralis, ut & regimen Magdeburgicum Hala huc translatum notanda. Centuriatores Magdeburgenſes per hiſtoriam eccleſiaſticam, quam conſcripſerunt, memoriam hujus urbis claram reddiderunt. Sequitur *Hala Saxonum*, ſalinis, nec non Academia noſtris temporibus fundata, celebris.

2. *Ducatus Halberſtadienſis*, cujus metropolis *Halberſtadium*, in quo templum cathedrale viſu dignum. Hic jura dantur provinciæ. Inter reliqua oppida ſunt *Aſcherslebia*, *Oſtervicum* &c. Prædicti autem duo Ducatus Regi Boruſſiæ obtemperant.

3. *Ducatus Brunſuicenſis*, *Hannoveranus* & *Luneburgenſis* ſecundum tres urbes primarias ſequentem in modum dividuntur:

In *Brunſuicenſi* caput eſt *Brunſviga*, ampla & perquam munita urbs, ibi ſingulis annis duabus vicibus inſignes celebrantur nundinæ. Poſt hanc *Gvelpherbytum*, ſedes ducalis, munimentis itidem cincta; Academia Nobilium hic floret. Bibliotheca rariſſimis codicibus referta, & technophylacium viſu ſunt digna. Non procul ab hac ſita eſt arx incomparabilis, Saltz-Thal dicta, nobiliſſimis excellentium pictorum tabulis inſtructa. *Helmſtadium*, ubi Academia inſignis; *Lutera Regia*, *Ganderſum* &c. ſunt oppida, quæ huc pertinent.

In Ducatu *Hannoverano* metropolis eſt *Hannovera*, electoralis ſedes, urbs copioſa, vallis atque muris cincta, variisque præclaris ædificiis ornata. *Hamelia* antiqua & bene munita urbs, ab hiſtoria famoſi illius captatoris murium notiſſima. It. *Wunsdorffium*, *Neoſtadium* &c. Non procul ab Hanoverâ arx ſita eſt, nomine *Calenberg*, à quâ iſtud territorium, ut & ipſe Ducatus Calenbergenſis vocatur. Huc pertinet quoque Ducatus *Grubenhagen*, cujus primaria urbs *Einbeck* dicitur, it. *Oſteroda*, *Clausthal*, *Mons S. Andreæ*, *Lutterberg*, *Elbingeroda* &c. &c. *Herrenhauſen* arx ſplendidiſſima, nova; ſedes ducalis quondam fuit in arce *Hertzberg*.

Ducatus Lüneburgenſis caput habet *Lüneburgum*, ſatis amplum, multos ex ſalinis habet reditus. Sequuntur *Cella*, quondam ſedes Principum Lüneburgenſium, *Harburgum*, *Vltzena*, *Danneberga*, *Burgdorfium* &c. Cæterum totus iſte Ducatus ad Electorem Hannoveranum poſt mortem Ducis Georgii Wilhelmi A. 1705. devolutus eſt, ſicut & Ducatus Saxo-Lauenburgicus, cujus quidem poſſeſſores jam antea erant Duces Luneburgenſes.

4. *Ducatus Mecklenburgicus*, qui nunc in Sverinenſem & Strelitienſem Principatum dividitur. Ad priorem pertinet Ducatus Megalopolitanus in ſpecie, cujus caput *Megalopolis*, antiquis temporibus potens fuit civitas. Porro Principatus Vandaliæ, in quo prævalet *Guſtrovium*. In Principatu Suerinenſi præcipuus locus *Buzovium*, in Comitatu vero *Suerinum*. Tandem huc refertur Dynaſtia Roſtochienſis, ubi *Roſtochium*, emporium, & academia floret.

Principatui Strelitienſi annumeratur Ducatus Ratzeburgicus, in quô *Ratzeburgum*, cujus templum cathedrale ad Megalopolitanum, ipſa vero urbs ad Lauenburgicum dominium pertinet. It. Dynaſtia Stargardienſis, cujus caput *Strelitium*, tandem ſunt *Brandenburgum novum*, *Stargardia vetus* &c.

Wiſmaria in Ducatu Mecklenburgico, ut & peninſula *Poel*, item fortalitium *Warnemunda* & præfectura Neu-Cloſter Regi Sueciæ parent, cui quondam quoque addictus erat.

5. *Ducatus Bremenſis*, qui vero per ceſſionem pervenit ad Electorem Hannoveranum. Præcipuæ urbes ſunt *Brema*, Ducatui tamen non ſubjecta, quia urbs Imperialis, præter Eccleſiam in eâ cathedralem. Ampla eſt, multum vacans commerciis, Gymnaſium habet celebre. Hanc excipit *Stada*, ubi tribunal Suecicum, *Ottersberg*, *Carlsburg*, *Wildhauſen*, *Bremerverda*, *Boxtehuda* &c. &c.

6. *Ducatus Holſatiæ*, qui in quatuor partes dividitur, quarum quælibet duplex habet regimen, Danicum ſcilicet & Holſaticum. Sunt autem 1. Holſatia in ſpecie, 2. Stormaria. 3. Wagria & 4. Dithmarſia.

In *Holſatia* Danica eſt *Rensburgum*, celebre fortalitium, in Ducali *Kilonium*, ubi academia celebris.

In *Stormariâ* regia *Glückſtadium*, urbs munita, Danicæ, *Trittovia* verò & *Rheinbeca* ducali jurisdictioni ſubjacent.

In *Wagriâ* Danica potiores urbes ſunt *Segeberga*, *Heiligenhaven*, *Oldesloa*; *Oldenburgum* verò, *Lütgenburgum*, & *Neo-ſtadium* ducales ſunt. *Plœna* eſt ſedes Ducis Holſato-Plœnenſis, è regia proſapia oriundi.

In *Dithmarſia* regiâ urbs potior eſt *Meldorf*, in ducali *Heyde* & *Lunde* reperiuntur.

In confiniis hujus Ducatus duæ quoque ſunt urbes Imperiales, *Hamburgum* & *Lubeca*, ob commercia per totum orbem celeberrimæ.

7. *Epiſcopatus Hildeſienſis* atque *Lubecenſis*. In priori eſt *Hildeſia*, urbs populoſa atque eleganter exſtructa. Sedes eſt Epiſcopi vel in ipſa Hildeſia, vel in arce adjacente, quæ *Porta Cœli* vocatur. *Mariæburgum* præcipuum in epiſcopatu munimentum.

Epiſcopatus Lubecenſis ſedes eſt *Otinum* in Wagriâ, â longo tempore ejus adminiſtratio Domui Holſato-Gottorpienſi obtigit.

Frumenta, fruges & paſcua in hoc Circulo abundant, nec deſunt aves atque piſces varii generis. In Mecklenburgico diſtrictu & Holſatia datur copia equorum, qui in vicinis locis venduntur. In Brunſuicenſi & Hannoverano Ducatu fodinæ argenti & ſalinæ egregiæ ſunt: Aquæ itidem ſalubres, aliaque plura illic locorum inveniuntur.

VII.

Circuli Weſtphalici Provinciæ ſunt:

1. *Ducatus Weſtphaliæ*, cujus caput urbs antiqua *Arensberga*, pertinet ad Epiſcopatum Colonienſem.

2. *Ducatus Cliviæ*, in quo metropolis *Clivia*, ſedes priſcorum Comitum atque Principum Cliviæ: it. *Veſalia* urbs ampla & fortiter munita. *Duisburgum*, munimentum & Academia. *Emmericum*, non inferioris conditionis eſt. Ducatus hic Regis Boruſſiæ dominio ſubjacet.

3. *Ducatus Juliacenſis*, cujus caput *Juliacum*, munimentis cinctum. Porro *Aquisgranum*, ubi celebrantur tincturæ pannorum, ſclopeta manuaria, & acûs. Elector Palatinus imperat huic Ducatui.

4. *Ducatus Bergenſis*, cujus metropolis *Duſſeldorpium*, ſedes Electorum Palatinorum, pulchra & munita urbs. In hoc quoque reperiuntur *Solinga*, *Mulheim* fortalitium, *Hattingen* &c.

5. *Ducatus Friſiæ Orientalis* habet caput *Emdam*, emporium præclare extructum, ubi portus navigantibus peropportunus: ſedes Principis eſt *Auricum*; inter reliqua oppida ſunt *Nordena*, *Witmund* & *Knipbauſen*.

6. *Principatus Mindenſis*, in quo præcipua urbs *Minda*, urbs admodum munita; præterea ſunt *Petershagen*, *Reneberg*, *Schleuterburg* & *Hausberg*. Paret hic Ducatus Regi Boruſſiæ.

7. *Ducatus Verdæ*, Hannoverano Electori hactenus addictus, caput hujus eſt *Verda*.

8. *Epiſcopatus Monaſterienſis*, cujus præcipua urbs *Monaſterium*, olim quidem epiſcopis non ſubjecta, ſuperiori tamen ſeculo libertatem amiſit. Nota eſt ob ſanctam ibidem A. 1648. pacem, nec non ob regem Joannem Leidenſem, Anabaptiſtam. *Meppena* & *Vechta* ſunt fortalitia; *Coſfeldia* quondam erat ſedes epiſcopalis.

9. *Epiſcopatus Leodienſis*, caput hujus eſt *Leodium*, pulchra & ampla urbs. Præterea *Huum*, & *Dinantum* notanda, quæ ſuperiori bello multum perpeſſæ.

10. *Epiſcopatus Osnabrugenſis*, in quo metropolis *Osnabruga* vocatur. Olim civitas erat Imperialis, ſuperiori ſeculo autem epiſcopis ſubjecta, & ob pacem ibi ſancitam notanda. Reliqua oppida ſunt *Boſtel*, *Forſtenau*, *Gronsburg*, *Iburg*, *Hunteburg*, *Melle*, *Reckenberg* &c. &c.

11. *Epiſcopatus Paderbornenſis*, cujus caput *Paderborna*, ſedes epiſcopi præclara; huic adjacet arx *Neuhuſium*; ſunt & alia oppida: *Lipſpring*, *Nien-herſe*, *Warburg*, *Sualenburg*, *Beverungen* &c.

Abbatia Corbejenſis ſita eſt in hoc epiſcopatu, cujus Abbas inter Principes Imperii eccleſiaſticos refertur.

12. *Diverſi Comitatus*, ut ſunt: Oldenburgicus & Delmenhorſtenſis, Regi Daniæ ſubjecti: Ravensbergicus, Comitatus Marchiæ, Tecklenburgicus, Lingenſis, ſub Sceptro Boruſſico ſunt: Lippienſis cum parte Schauenburgici, altera enim pars eſt ſub ditione Haſſo-Caſſellenſi. Dipholtanus autem ad Electorem Hannoveranum ſpectat, Pyrmontanus, Rietbergicus, Reckheim, Styrum, Vehlen, Gronsfeld &c. &c.

Ager in multis hujus Circuli regionibus fertilissimus est, silvarum datur copia, lina frequenter seruntur, hinc nulla ibidem linteorum penuria.

VIII.

Circulo Rhenano superiori adscribuntur:

1. *Ditiones Comitum Palatinorum*, ut sunt Ducatus Bipontinus, Principatus Bircofeldensis, Comitatus Veldentianus, cum aliquibus præfecturis, secundum triplicem Comitum Palatinorum lineam, Bipontinam, Bircofeldensem & Veldentianam, quarum ultima jam extincta. Vrbes præcipuæ sunt: *Bipontium*, *Birckenfelda*, *Trarbachum*, *Veldentia*.

2. *Landgraviatus Hassiæ*, in superiorem & inferiorem divisus. Maximam partem possident duæ lineæ primariæ, Casselensis & Darmstadiensis: reliqua ad duas secundarias, Rhenofeldensem & Homburgensem pertinent.

Ad ditionem Hasso-Casselensem plurima de Hassiâ inferiore spectant, in qua *Cassella* caput & sedes Principis, urbs concinnè exstructa & munita. Porro pars aliqua de Hassiâ superiore, ubi est *Marpurgum*, Academia celebris, Ducatus Hirschfeldensis: & in Ducatu Hennebergico urbs *Smalcaldia* cum dimidiâ præfecturâ: Comitatus Ziegenheim, ubi *Ziegenheina* fortalitium; pars quoque Comitatus Schauenburgici & Hoyensis, & Dynastia Plessensis,

Hasso-Darmstadiensi competit maxima pars Hassiæ superioris, ubi *Gissa*, Academia celebris, præcipua urbs; porro Comitatus Catimelibocensis superior, cujus caput *Darmstadium*, sedes Principis; *Nidda* Comitatus & *Itter* dynastia.

Hasso-Homburgensis sibi vindicat territorium Homburgense, in quò sedes Principis *Homburgum*: Hasso-Rhenofeldensis autem Comitatum Catimelibocensem inferiorem, ubi *Fanum S. Goaris* caput; porro arcem *Rhenofeldam*, *Schvvalbacum*, ibi notæ sunt acidulæ. It. *Catimelibocum* oppidum. His adjunguntur & quædam loca atque dynastiæ in Hassiâ inferiore.

3. *Wetteravia* & *Austrasia*, in quibus plurimam partem Comitatus reperiuntur. In Wetteravia quoque est Principatus & Comitatus Nassovienses; uterque in diversas lineas divisus; sedes Principum sunt: *Siegen*, *Hadamar*, *Dillenburg*, *Dietz*, *Idstein* &c. &c. Comitum sunt: *Saarbruck*, *Weilburg*, *Ottweiler*, *Vsingen*. Porro Comitatus Hanoviæ, Waldeck, Solms, Wied, Isenburg, Sayn, & Witgenstein, Hatzfeld, Cronberg, Leiningen.

Tandem & quatuor urbes Imperiales: *Francofurtum*, commerciis & nundinis celebre, ubi electio atque coronatio Romanorum Imperatoris celebratur, ibidem asservatur avthenticum Aureæ Bullæ. *Wetzlaria*, Judicium Cameræ Imperialis, *Gelnhausen* & *Friedberga*.

4. *Episcopatus* Wormatiensis, Spirensis, Argentoratensis & Basileensis.

Ad Wormatiensem episcopatum pertinent: *Ladenburgum*, sedes quondam episcopalis, *Neckerhusia*, *Strassheim*, *Altenbach*, *Dürnstein* &c. Vrbs *Wormatia* nonsolum multa pertulit in bello Gallico, sed & ut civitas Imperii multas cum episcopatu de sua libertate habuit controversias. Superioribus temporibus comitia in hâc celebrata.

In Episcopatu Spirensi sunt oppida non contemnenda, *Bruchsalium*, *Eppingen*, *Hersheim*, *Hernbach* &c. Vrbs *Spira* antiquissima in Germania eadem cum Wormatia in prædicto bello habuit fata, libera est atque imperialis, unde non nisi in quibusdam tantùm ab episcopatu dependet. Cameræ Imperialis tribunal quondam in hoc loco erat, sed A. 1693. belli temporibus Wezlariam translatum.

Episcopatus Argentoratensis in quatuor Vicariatus dividitur. Sedes episcopi est *Argentoratum*, urbs quondam Imperialis, sed ab A. 1681. à Gallis subacta & libertate privata. Optime est munita & castello firmata, Academiam habet celebrem. Curia cum armamentario & cathedralis ecclesia, nec non excelsa & artificiosissima turris templi visu atque notatu dignissima sunt.

Episcopatus Basileensis Germaniæ adnumeratur, Basilea vero cum pago Basileensi, Helvetiæ. Sedes episcopi olim Basileæ, nunc Brundisiæ. Capitulum Friburgum primò, deinde ob metum belli, Arlesheimium translatum.

5. *Abbatia Fuldensis* & Bona Magistrorum ordinis Johannitici. Sedes Abbatis est *Fulda*, *Heidersheimium* vero ordinis Magistrorum.

6. Vrbes Imperiales in Alsatia, undecim numero, quæ libertate amissa, sub Gallorum nunc vivunt imperio: Potiores sunt *Argentoratum*, de quò supra dictum; *Hagenoa*, munimentis cincta, & castro. *Colmaria*, caput superioris Alsatiæ, etiam munita. *Landavium*, fortalitium, aliquot vicibus in bello Gallico obsidionem expertum.

In genere hic notandum, omnia hujus Circuli ultra Rhenum sita, secundum Acta sanctæ pacis Galliarum Regi subesse, quæ vero citra Rhenum sunt, ad Germaniam pertinere.

7. Tandem etiam ad hunc Circulum referuntur duo Ducatus, *Lotharingiæ* sc. & *Sabaudiæ*, non quidem absolutè, sed tantummodo ratione quorundam bonorum Imperii, quæ tanquam feuda possident.

Universa Lotharingia, prout olim fuit, in duas partes dividitur, ducalem & episcopalem. In ducali duo sunt Ducatus: Lotharingicus in specie & Barrensis; uterque suum veneratur Principem. Episcopalis tres continet episcopatus: Metensem, Tullensem & Verodunensem, qui cum urbe *Saar-Louis* in Lotharingia, & *Longovico* in Barro nunc Galliæ subsunt.

Lotharingiæ in specie caput est *Nancejum*, sedes Principum, ampla & in duas partes divisa. Huic accedunt *Sar-Louis*, novum & celebre fortalitium, per pacem Ryswicensem Gallis traditum, *Lunæ villa*, *Mussipontum* Academia ornatum &c.

In ducatu Barrensi *Barroducum* primaria urbs, olim magis, quam nunc munita. Deinde *Longovicum* per pacem Ryswicensem Gallis tributum.

Primariæ urbes trium episcopatuum sunt: *Metæ*, *Tullum* & *Verodunum*. *Metæ*, urbs ampla, munita cum castro. *Tullum* non adeo magnum, sed ædificiis & munimentis notabile. *Verodunum* itidem pulchra & præsidiis atque castro septa urbs.

Ducatus Saubaudiæ in sex partes dividitur: Estque 1. Sabaudia in specie, 2. Tractus Genevensis. 3. Mauriana. 4. Tarentasia. 5. Tractus Fossigniacus. 6. Ager Cabellicus. *Geneva* olim erat caput Ducatus, sed libera facta Respublica, in cujus locum successit *Camberium*, ubi sedem habent Principes, hæc urbs altis mœnibus & fossis profundis cingitur.

In Ducatu Genevensi *Annecium* præ reliquis notandum, amœnè situm ad lacum quendam, estque sedes Episcopi & Capitularium Genevensium. In Mauriana parvum quidem, sed pulchrum oppidum, *Fanum S. Johannis in Mauriana* dictum, prævalet. Tarentasia habet *Monasterium*, urbem cum Archiepiscopatu. In Tractu Fossigniaco exiguum, sed non spernendum oppidum *Clusa*. Agri Cabellici caput est *Tunonium*.

Huc pertinet quoque Pedemontium, ex quo Princeps Sabaudiæ major natu nomen habet atque titulum. Hic ducatus varias comprehendit provincias. Caput totius regionis est *Augusta Taurinorum*, sedes quoque Principis, ubi arx magnificè exstructa, nec desunt alia splendida ædificia atque munimenta, Archiepiscopum habet, Academiam Nobilium &c. Multa præterea reperiuntur loca munita, ut sunt *Cuneum*, *Segusium*, *Salutiæ*, *Asta*, *Veruca* &c. *Pinarolium* autem, *Mons regalis*, *Vercellæ*, *Nicea* &c. olim fortalitia, nunc munimentis privata.

Ducatus Montisferati huc quoque referendus, in quo *Casala* tam ratione ædificiorum, quàm multitudinis incolarum maxima & præcipua urbs. Sedes ibi episcopalis Mediolanò dependet. Reliqua oppida, v. g. *Aquæ Statellæ*, *Tridinum*, *Alba* &c. exigua sunt.

Regiones hujus Circuli fertili solo fruuntur, præcipuè circa Rhenum sitæ, pascuis, vino & frumentis abundant. In Lotharingiâ dantur salinæ & ferrariæ fodinæ.

IX.

In Circulo Rhenano inferiore continentur:

1. *Archiepiscopatus Moguntinus*, in quo *Moguntia*, sedes electoralis, urbs ampla & perquam munita. Deinde *Bingium*, *Elfeld*, *Hoëchst* &c.

Huic Archiepiscopatui propria sunt & alia in Germania hinc inde sita, v. g. in Franconia prope Mœnum arx electoralis *Aschaffenburgum*, *Klingenberg*, ob ortum vini celebris; *Selingostadium* &c. *Strada Montana* citra Rhenum, ubi Præfecturæ & urbes *Weinheim*, *Bensheim* & *Heppenheim*. Porro in Palatinatu *Gernsheim* & *Sobernheim*. In Hassiâ *Amelburg*, *Fritzlaria* & *Ohmeburg*. Exiguus tractus intra Thuringiam, Hassiam & Brunsuigam, *Eisfeldia* dictus, in quo *Heiligenstadium* & arces diversæ. In Thuringia *Erfurtum*, ut & *Lohenstein superior* ad Rhenum, præfectura *Krautheim* ad Tubarim notantur.

2. *Archi-*

2. *Archiepiscopatus Trevirensis*, cujus caput & sedes electoralis *Trevirus*, antiqua, imo antiquissima urbs in Germania, multas in bellis gallicis perpessa obsidiones. Post hanc sequitur *Confluentia* probe munita, & castrum *Ehrenbreitsteinium*. It. *Poppart*, *Vesalia superior*, *Mons Thabor*, *Monasterium Meyenfeldiæ*, *Samburgum*, *Vitelliacum*, *Cochemium*, *Prumia Abbatia*, it. *Abbatia S. Maximini* non procul Treviris distans.

3. *Archiepiscopatus Colonienſis*, cujus caput *Colonia*, urbs libera Imperialis, & quidem præcipua atque amplissima Germaniæ, probe munita, præclaris ædificiis ornata, inter quæ curia, templa & monasteria eminent. Academia ibi floret secundum normam Parisiensis fundata. Commercia quoque vigent, quia caput est urbium Hanseaticarum in Belgio & Westphaliâ sitarum. Hanc excipit *Bonna*, insigne fortalitium, sedesque electoralis, An. 1703. à Duce Cœhornio paucis diebus igne superata; porro *Cæsariswerda*, olim munita, sed An. 1702. à confœderatis capta atque demolita; Reliqua exigui sunt momenti. Huic Archiepiscopatui adjungitur quoque Ducatus Westphaliæ, uti supra N. VII. dictum.

4. *Palatinatus electoralis*, qui pars est Palatinatus inferioris, & in pluribus præfecturis, quindecim numero, consistere dicitur. Præcipuæ urbes sunt *Heidelberga*, sedes electoralis, quæ tamen, postquam à Gallis misere devastata, *Dusseldorpium* translata. Bibliothecam habuit celeberrimam, sed capta An. 1622. ab Hispanis urbe, Romam hæc transmissa, & Vaticanæ addita fuit. Academia est ex antiquissimis & nobilissimis Germaniæ. Dolium quoque Heidelbergense ob insignem magnitudinem ibi notandum. *Manheimium* ante bellum Gallicum fortiter munitum, sed & nunc reparatur & ampliatur. *Francodalia*, itidem quondam fortalitium. *Oppenheimium*, *Crucinacium*, *Bacherach* vino nobili celebre oppidum &c.

5. Non exiguus tractus intra Treviros, Juliacum & Coloniam, *Eiffalia* dictus, continet potissimum quosdam Comitatus, & sunt: *Arembergicus*, Duci Arembergico proprius, *Virneburgicus*, *Dynastia Sleidana*, *Salmensis*, *Manderscheidensis*.

Frumentis & vino abundat tellus hujus circuli, præcipuè in Palatinatu: In Trevirensi ditione dantur fodinæ argenti, ferri, ut & thermæ.

X.

Ad Circulum Burgundicum,

Quondam referebantur Comitatus Burgundiæ, sive Burgundia superior, nec non & septendecim totius Belgii provinciæ, quæ Belgium fœderatum & Belgium Hispanicum vocantur, postquam autem Comitatus Burgundiæ parere cœpit Galliarum Regi, Belgium quoque nunc dividitur alio modo. Ab Imperio avulsus est hic circulus, nisi quod Domui Austriacæ per sancita pacis denuo non pauca accesserint, ut in sequentibus demonstrabitur, & quidem

1. *Maxima pars Flandriæ*, quæ junctim constituit Flandriam Hispanicam, in quâ caput est *Gandavum*, amplissima urbs cum castro, locus natalis Caroli V. Imperatoris, Episcopus hujus urbis subest jurisdictioni Archiepiscopi Mechlinienſis. Deinde *Bruga* urbs amplissima & pulcherrima Flandriæ, vallis atque mœnibus cincta, varia ibidem genera pannorum è lana, gossypio & serico conficiuntur. Episcopatus hujus urbis itidem est sub Archiepiscopatu Mechlinienſi. *Novus Portus*, locus munitus, qui per cataractas aquis cingi potest. Prædictas tres urbes, ut & *Dunquercam* per pacem Ultrajectinam Angli, frustra protestante Legato Cæsareo, usque ad compositam pacem generalem, in possessione retinuerunt. *Ostenda*, parva sed munita, & ob portum insignem atque commercia urbs celebris. Memoratu dignum, eandem An. 1706. trium dierum spatio occupatam fuisse à Confœderatis, quam tamen ante centum annos Hispani intra tres annos, tres menses, tres dies & tres horas obtinere vix poterant. *Furnæ*, pulchra urbs aliquot milliaria à Novo Portu distans, nec adeo magna. *Fort-knocke*, egregium fortalitium, An. 1712. à Batavis nocturno tempore inopinato captum. *Ipera*, munita & bene exstructa urbs, celebris opificiis & nundinis. Episcopatus subest Archiepiscopo Mechlinienſi. *Monena* parvus quidem locus, sed à Vaubanie egregie munitus. *Tornacum* antiquum & munimentis celebre emporium, castrum insimul habet, quod Confœderatis An. 1709. post captam urbem diu adhuc multum, que resistebat. Prædicta loca omnia Batavis in securitatem per pacem Ultrajectinam usque ad plenariam litium compositionem sunt adjudicata. Dantur & alia oppida, sed parva, attamen munita, v. g. *Damum*, *Blaskenda*, *Dixmuda*, *Deinsa*, *Aldenarda*, *Teneramunda*, *Cortracum* &c.

2. Magna pars *Hannoniæ*, cujus caput *Mons*, urbs ampla, elegans & munimentis fortiter cincta, nam vallis & triplici fossâ septa est, ob commercia & insignes artifices celeberrima, Batavis quoque in securitatem tradita. *Athum*, urbs non adeo magna, ædificiis ac munimentis, nec non linteis insignis. Præterea *Angia*, *Lessinæ*, *Ligniacum*, *Lotusa*, *Chievres*, *Fanum S. Gislenii*, *Binchium*, *Fons Episcopi* &c. oppida sunt partim exigua, partim mediocriter magna.

3. Magna pars Comitatus Namurcensis, cujus primaria urbs *Namurcum*, fortalitium inter Belgica præstantissimum, amplum, pulchrum atque opulentum emporium cum castro, habet & Episcopatum, qui subest Archiepiscopo Cameracensi. Porro notandum *Caroloregium*, Ao. 1666. ab Hispanis munitum & in honorem Regis sui loco Charnoy, Charleroy dictum. Hæ urbes etiam Batavis in securitatem traditæ sunt.

4. Potissima pars Ducatus Luxemburgici, cujus caput *Luceburgum*, urbs ampla, elegans & probe munita. Hanc sequuntur *Dietkirch*, *Bitburg*, *Ouft*, *S. Veit*, *Viande*, *Bastogne*, *La Roche*, *Durby* &c. mediocriter constitutæ.

5. Plurima e Ducatu Brabantiæ, in quo amplæ ac pulchræ dantur urbes, harum caput *Bruxella*, urbs maxima & copiosissima in Belgio Hispanico, commerciis & opificibus notissima. *Antverpia* magnifica & munimine cincta, castrum habet fortissimum, & insignem navalem apparatum. Commercia olim in hac urbe maxime florebant, quibus postea Amstelodamenses fuerunt detrimento. Episcopus paret Archiepiscopo Mechlinienſi. *Lovanium*, ampla & Academiâ celebris urbs, templa & curia visu sunt digna. *Mechlinium* urbs magnifica, unde & cognomen pulchræ accepit, amœna, & ob mercaturam notanda. Sedes est Archiepiscopi, qui titulo Primatis in Belgio gaudet. Reliqua loca minoris conditionis sunt *Diesta*, *Arschottum*, *Vilvordia*, *Liere*, *Tillemont* &c.

6. Integer fere Ducatus Limburgensis, cujus primaria urbs *Limburgum*, castro in monte munitum, in cujus vicinià ferunt dari fodinas metallorum. Reliqua loca sunt, exigua v. g. *Falconis mons*, *Dalemum* &c.

7. Plurima de parte meridionali Ducatûs Geldriæ, aliàs Geldriæ superioris, in quò *Venloa* urbs bene munita, olim ob commercia inter urbes Hanseaticas relata. *Ruremunda*, ampla & firma, Episcopum habet, aliquoties obsessa, & post ultimam obsidionem An. 1702. à Confœderatis occupata.

Urbs *Geldria*, tanquam caput totius Ducatus, quæ arcem habet & munimentis cincta, Regi Borussiæ, præter ea, quæ antea in hoc Ducatu jam possederat, per pacem novissimam concessa.

In hoc Circulo Belgium præcipue pascuis abundat, hinc præstantes habet pecuarias, omniaque ad vitæ cultum & paratum necessaria largissimè præbet.

Hactenus de divisione Germaniæ in decem circulos; Jam consideratu quoque digna sunt quædam regna & provinciæ, ad Germaniam quidem partim certo modo, partim omnino, pertinentes, & ab ipsius tamen summo Capite dependentes. In his eminent:

1. *Regnum Bohemiæ*, cujus Rex etiam dignitate electorali in Imperio R. gaudet, in certos Circulos, quorum olim quindecim erant, dividitur. Caput regni *Praga* est, è maximis Germaniæ, imò Europæ, urbibus, siquidem tribus sibi invicem junctis constat. Habet Archiepiscopum & Academiam, palatiis splendidis, arce magnifica, templis & collegiis aliisque sumtuosis ædificiis mirum in modum exornata. Hanc excipiunt oppida: *Budovissa*, non inelegans; *Boleslavia*, quæ in bello triennali multum perpessa: *Egra*, urbs egregia & munita, ob acidulas celebris: *Thermæ Carolinæ*, calidis fontibus celebres: *Vallis Joachimica*, nota à fodinis argenti, in qua cusi sunt Joachimici s. Taleri.

2. *Ducatus Silesiæ*, in superiorem & inferiorem divisus, septendecim ducatus atque sex dynastias comprehendit. Caput totius Silesiæ est *Wratislavia*, emporium celebre. Sedes est Episcopi, præter quem nullus in Silesiâ datur, qui respectu Nissæ & Grotgaviæ & Princeps est, & plerumque Administrator totius Silesiæ, unde titulo supremi Ducatus Præfecti fruitur. Inter reliqua oppida sunt *Lignitium*, maxima & pulcherrima, præter Wratislaviam, urbs: *Brega* inter præcipuas Silesiæ notatur, munita quoque: *Glogavia* major notatu digna & ob fortalitium; *Schvveidnitium*, pulchra & munita urbs. Dantur & alia minora: *Saganum*, *Wolavia*, *Jauria*, *Strigavia*, *Hirschberga*, *Nissa*, *Ratiboria*, *Teschena*, *Troppavia* &c. Ducatus Crosnensis Regi Borussiæ paret.

3. *Marchionatus Moraviæ*, in quinque Circulos divisus, cujus caput *Olmutium*, urbs munita & populosa, ubi & sedes Episcopalis. *Brinnum*, *Iglava*, panificio celebris: *Znoimum*, *Hradisca* &c. &c.

Bohemia, Silesia & Moravia frugum sunt feraces: Montes Sudeti metalli-fodinis, thermis, & pretiosis lapidibus, ex quibus noti sunt adamantes Bohemici, referti. Silesia è cera, linteo multum lucri capit.

Ad Provincias Domui Austriacæ hereditarias commode quoque referuntur:

4. *Regnum Hungariæ*, quod in superiorem & inferiorem dividitur. In Hungaria superiore caput est *Posonium*, nobilis civitas, cui adjacet in vicino monte castellum, in quo corona regia aliaque pretiosa custodiuntur. Proceres regni hac in urbe suos celebrant conventus. Præterea varia dantur fortalitia, v. g. *Comorra* in Schutiâ Insulâ, *Cassovia*, *Leopoldinum*, A. 1665. exstructum; *Neoselium*, *Arad*, *Waradinum*, *Latmaria*, *Temesvvaria* &c. quorum dominio gaudet Imperator. Porrò alia oppida, v. g. *Debrezynum*, ampla urbs, mercimonium exercet cum Polonis, Gymnasio prædita est. *Eperiæ*, â salinis, in quibus inter alios pretiosos lapides Opali quoque reperiuntur, & ab acidulis notæ: *Agriâ*, Hungaris *Erla* dicta, ampla admodum est, arcem habet probe munitam, & sedes est Episcopi: *Segedinum*, *Pestum*, *Gyula*, *Zolnochium* & *Tockæum*, generosissimo Hungariæ vino nobile.

Hungariæ inferioris metropolis est *Buda*, olim sedes Regum Hungariæ, multis præsidiis circumdata. In hujus regione nobile nascitur vinum. Sequuntur *Arrabo*, sedes Episcopi: *Alba Regalis*, hanc præcipuè paludes defendunt: *Canisia* undique paludibus cingitur: *Sigethum* cum arce, triplici muro & triplici fossa, aquis repleta includitur: *Vicegradum* cum arce, & *Strigonium*, Archiepiscopum habet. His adjunge *Sopronium*, quondam caput Hungariæ inferioris, antequam Buda Turcarum eriperetur Imperio: In hujus confiniis nascitur vinum: *Neu-Serinvvar*, cujus munimenta â Turcis demolita: *Quinque Ecclesias*, urbem antiquam, quam nec natura nec ars defendit, arcem tamen hæc habet non invalidam: *Mohatium*, exiguam urbem, duplici prælio insignem: *Colocium*, exiguam quoque, sed ab Archiepiscopatu notam.

5. *Sclavonia*, sub quâ voce non intelligitur antiqua Sclavonia, quæ Dalmatiam, Bosniam, Croatiam & Sclavoniam comprehendebat, sed tantum Sclavonia in specie. Hujus provinciæ quondam caput erat *Posega*, emporium; in hac regione fructus majores crescere dicuntur, quam alibi, hodie *Essecium* præcipua urbs, munita & ob commercia copiosa; celebratur & pons ibidem, qui super Dravum & paludes ultra milliare stratus; quernus est, & 8565. pedum longitudinem, 17. pedum latitudinem habet. Reliqua loca munita sunt *Petri Waradinum*, *Gradisca*, *Walpo*, *Copranicia* & *Carlovvitium* castrum, ubi A. 1699. pax cum Turcis sancita.

6. Maxima pars *Croatiæ*, quæ per Vicarium Cæsaris, qui Bannus Croatiæ dicitur, regitur. Præcipua loca & fortalitia sunt *Agram* s. *Zagrabia*, *Petrina*, *Carolostadium*, *Warasdinum*, *Castanovvitium*, *Sisacum* &c. &c. Turcæ adhuc nonnulla in hâc provinciâ occupant, è quibus *Wihitia* munimentum firmissimum.

7. Quædam in *Dalmatia*, reliqua Turcæ possident, & liberæ Respublicæ, Veneta scilicet atque Ragusana. Præcipua quæ huc pertinet urbs, est *Senia*, præsidiis cincta, ubi & portus navigantibus valde commodus.

8. Quædam pars *Istriæ*, in quâ Comitatus *Mitteburg*, *Adelsberg*, *Tergestum*, aliaque loca. Non procul â Tergesto crescit generosum vinum Reinfall dictum.

9. *Serviæ* duo Sangiacatus, Belgradensis, in quo *Belgardum*, & Semendriensis, in quo *Semendria* & *Passarovviz*, quæ omnia A. 1716. & 1717. victricibus Cæsaris armis cessere.

Fertilis in hisce provinciis terra, præcipue in Hungaria, ubi fruges, pascua, feræ, phasiani, perdices, pisces varii generis, arborum fructus & vina copiosè reperiuntur, nec desunt auri, argenti, ferri, æris atque argenti vivi fodinæ, antimonium, saccharum, variique pretiosi lapides: Arenam fluminum quoque auri granulis permixtam ferunt. *In Istria vinum atque oleum datur.

Non incongrue huc quoque referimus *Principatum Transylvaniæ*, ab Austriâ dependentem. Hujus caput *Cibinium*, Principum quondam sedes, pulcherrima & amplissima urbs, mœnibus ac turribus munita, in quâ Gymnasium & Bibliotheca quoque notanda. Porro *Stephanopolis*, alias Brassovia dicta, urbs quidem non adeo magna, Suburbia tamen ejus perampla, ubi Germani, Hungari atque Wallachi habitant, & frequens commercium exercent, ita, ut nullibi in hoc ducatu tanta hominum multitudo inveniatur. *Claudiopolis* titulo Episcopatus gaudet, emporium est, in quo & arx antiqua visenda. Status Provinciæ hic solent convenire. *Alba Julia* sedes est episcopalis, hanc olim majorem atque splendidiorem fuisse testantur Romanorum nummi, qui in hujus regione adhuc reperiuntur, ejusque antiquitatem produnt. In reliquis sunt *Schæsburgum*, *Bistricium* &c.

Dives proventibus hæc regio est, in quibusdam locis metalla effodiuntur, vini, frugum, pascuorum, piscium, ferarum nulla penuria, ita ut nihil ferme desit ad commodum gentis atque regionis.

Ultimo loco adhuc consideranda Ducatus Mediolanensis, Regnum Sardiniæ atque Neapolitanum, quæ per sanctam pacem Domui Austriacæ ab Hispanis concessa.

1. *In Ducatu Mediolanensi* caput est *Mediolanum*, urbs inter Europæas amplissima, unde & titulo *magnæ* insignitur, incolis plena, emporium celebre est, castro munita, & splendidis ædificiis decorata, inter quæ excellit templum cathedrale, quod, si Romanum D. Petri, & Londinense D. Pauli, excipias, reliqua antecellere dicitur. Bibliotheca Ambrosiana, & celebre technophylacium Manfr. Settalæ visu sunt dignissima. Archiepiscopatum habet atque Academiam. Denin notandum est *Ticinum* s. Papia, antiqua & ampla urbs, atque Academia. Pons ibi lapideus maximus & splendidissimus in Italia. Multa, quæ antiquitatem sapiunt, hic reperiuntur. Rex Galliæ Franciscus 1. occupato Mediolano, prope hanc urbem captus fuit. *Comum*, amplum, opulentum atque copiosum emporium, ad lacum Comensem situm, præclaris ædificiis atque Episcopatu ornatum. Cremona, ampla & insigni castro munita urbs, cujus ædificia, splendida templa & campi patentes lustrari merentur. Episcopatus subest Archiepiscopo Mediolanensi. Initio hujus seculi capto ibidem Mareschalco de Villeroy, magis innotuit. *Mortaria*, urbs munita, A. 1706. per deditionem Imperatori subdita. *Dertona*, urbs notabilis, quæ per adjacens fortalitium defenditur, Episcopum habet Archiepiscopatui Mediolanensi subditum. *Alexandria Statelliorum*, quæ A. 1707. Duci Sabaudiæ tradita. *Novaria*, fortalitium insigne, cum castro & Episcopatu â Mediolano dependente.

Fert regio hujus Ducatus abundanter fruges, oryzam, vinum, oleum, ceram, mel, pisces & feras &c.

2. *Regnum Sardiniæ* hodie per duo flumina in duas dividitur provincias. Caput est hujus *Calaris*, sedes Archiepiscopi atque Vice-Regis, tam naturâ quam arte munita; portum habet celeberrimum ad commercia perquam commodum, templum cathedrale splendidum, quod non â Vice-Rege, sed â Collegio Senatûs immediatè dependet. Hoc Regnum A. 1720. Imperator loco Regni Siciliæ Duci Sabaudiæ concessit. Notanda porro, *Castrum Aragonese*, *Arbores*, in quibus Archiepiscopi sunt, & navium portus: & *Sassari*, *Torre*, *Algaria*, *Bosa*, *Terra nova* &c.

Circa hanc Insulam sitæ quadraginta & plures minores, quæ ad hanc pertinent, quarum octo tantum incolas habent.

Terra frugum, olei atque vini feracissima, aër crassus & morbidus est, hinc multa hujus Insulæ loca incolis destituta.

3. *Regnum Neapolitanum*, maximam partem Italiæ constituit, & in duodecim provincias dividitur, hujus caput *Neapolis*, ob magnitudinem, pulchritudinem atque firmitatem præcipua ex Italiæ urbibus, incolis refertissima; nam ob amœnitatem situs & salubritatem cœli maximus Nobilium cœtus hic commoratur; est quoque ad commercia ob eximium portum apprime commoda. Sedes est Archiepiscopi: templa & monasteria magnificè exstructa tanto numero reperiuntur, ut similem in hoc passu locum vix habeat. Palatium Vice-Regis splendidissimum, & multa alia ædificia eximia dantur. Aliæ quoque urbes notantur: *Aquila*, ampla urbs, sed A. 1703. terræ motu valde devastata: *Theate*, magna, & sedes Archiepiscopi: *Barium*, antiqua itidem sedes Archiepiscopi: *Aletium*, ampla, opulenta & admodum frequens populis urbs. *Rhegium*, sedes Archiepiscopi, aliquoties â Turcis spoliata; prope hanc urbem sita est regio, *Morgana* dicta, ubi singulis annis medio æstatis tempore, & quidem horis nocturnis varia in aëre phænomena & figuræ miratu dignæ apparere dicuntur. *Brundusium*, *Cosentia*

tia & *Acherontia* sedes sunt Archiepiscoporum: *Tarentum*, antiqua & ab Architâ insigni artifice, nota civitas, munita quoque & copiosa. *Salernum*, ampla & populosa urbs, sedes archiepiscopalis, innotuit quoque per librum quendam, qui *Schola Salernitana* dicitur. *Nola*, antiqua urbs, ubi multa adhuc antiquitatis monumenta reperiuntur.

Cæterum Regnum hocce omnes Italiæ provincias superat fertilitate soli, siquidem montes quoque, quorum plures ibi dantur, oleum atque vinum proferunt. E montibus præcipue celebrantur *Falernus*, qui jam olim, testante Plinio, optimum produxit vinum, & *Vesuvius*, perpetuo fumans atque sæpius ignem eructans.

Adjacet huic Regno â parte inferiori notissima Insula *Sicilia*, olim cum Neapoli conjuncta. Hæc per pacem Vltrajecti sancitam Duci Sabaudiæ tribuebatur, sed jam Cæsari paret. Dividitur separatum hoc Regnum in tres provincias. Urbs primaria *Messana* dicitur, ampla, pulchra & munita, portu celeberrimo prædita, mercaturam potissimum serico & pannis sericis exercet, sedes Archiepiscopi atque Vice-Regis est, cujus palatium, ut & navalis apparatus visu sunt digna.

Non minorem meretur laudem *Panormus*, urbs, quam aliqui caput Regni constituunt, siquidem & hæc magna, munita, splendidis ædificiis, & portu insigni prædita, sedes quoque Archiepiscopi est. Hanc excipit *Catana*, è maximis quondam Siciliæ, quæ tamen hactenus ob furorem vicini montis Ætnæ & ingentes terræ motus potissimam partem devastata. *Syracusæ*, splendida quondam urbs, sed terræ quoque motibus multum diruta, nota jam olim ab insigni Mathematico Archimede, qui in ejus expugnatione violentâ morte interiit. Reliqua oppida sunt *Drepanum*, *Tauromenium*, *Coronia*, *Garo*, *Mylæ*, *Alzisata*, *Castro* &c.

Frugibus & fructibus abundat hæc Insula, hinc olim Granarium Romanorum vocabatur, hodie merito penarium Italiæ quoque dicitur. Pretiosi in hac reperiuntur lapides, smaragdi, jaspides, aurum, argentum, ferrum: corallia quoque in mari â latere occidentali produci, certum est.

II.
Imperium Moscoviticum.

Moscovia sive *Russia* est regnum, versus Orientem in Europâ remotissimum; nam ratione tam longitudinis, quàm latitudinis ingenti tractu usque ad Chinam extenditur, unde quoque *Russiæ magnæ* cognomen accepit. Perquam potens hocce & amplissimum regnum vulgò in quatuor partes, & quidem â quibusdam in partem versus Aquil-Orientem, Aquil-Occidentem, Austr-Orientem & Austr-Occidentem; ab aliis vero in Russiam occidentalem, orientalem, Lappiam Moscoviticam, & Tartanam Moscoviticam, quæ inter Asiæ provincias refertur, dividitur.

Russia occidentalis inter has quatuor partes plurimos & præcipuos comprehendit ducatus atque dominatus, inter quos è ducatibus est Moscoviensis in specie, Smolenscensis, Wolodimeriæ, Wologdæ, Sustaliæ, Worodinensis, Severiensis, Rezani, Novogardiensis inferior Czernichoviensis; è provinciis reliquis Duina, Novogardia, Plescovia, Tuevia, Bielkia, Rescovia, Mordua, Pola Rosthovia Biela Ozora, Jeroslavia, & Cargapolia prævalent.

In *Ducatu Moscovienst* in specie caput atque sedes Imperatoris est *Moscovia*, quæ â multis inter urbes amplissimas Europæ refertur, & in tres partes dividitur partim muris, partim vallis separatas; in suburbio quodam ob insignia in urbe commercia multi è Germanis, Batavis atque Anglis reperiuntur.

Præter Palatium Imperatoris, *Kremelin* dictum, aliaque magnatum domicilia, quæ secundum artis regulas sub Imperatore Petro I. è lapidibus exstructa, reliqua habitacula maximam partem lignea sunt, hinc mirum non est, sæpissimè tot mille domos ignis furore consumi, prout A. 1710. 1711. & 1712. factum fuisse constat. A. 1701. celebris campana, cujus diameter in infima parte erat 23. pedum, totum vero pondus 356. centenariorum, exorto gravi incendio, periit.

Ducatus *Smolenscensis* præcipua urbs *Smolenscium* est, ampla & non tam naturæ, quàm artis beneficio munita, ut ferme dicatur insuperabilis. Præteritis temporibus sæpissime eam vicini infestarunt Poloni.

In *Wolodimeriensi* ducatu prævalet *Volodimeria*, celebris quondam, & sedes magni ducis, hâc vero mutata, illa parvi nunc penditur.

Ducatus *Wologdæ* caput simili cognomine *Wologda* dicitur, urbs perampla atque munita, celebre habet emporium, quod â Germanis atque Batavis frequentatur.

In *Susdaliensi* atque *Vorotinensi* ducatu *Susdalia* & *Vorotinum*, quod munitum est, præcipuæ urbes sunt.

Ducatus *Severiensis* caput est *Novogardia*, urbs magna, domos tamen habet exiguas.

In ducatu *Rezani* eminet *Rezania*, â Tartaris vero perquam vastata: In Novogardiensi inferiori *Novogardia*, urbs ampla, copiosa, & arce munita: In Czernichoviensi *Czernichovia*, quæ quo minor, eo firmior.

In provincia *Duinæ* caput est *Duina*, cui accedit *Archangelopolis*, emporium celeberrimum, ad cujus portum innumeræ Batavorum, Anglorum, Danorum atque Hamburgensium naves tendere solent, ex quo etiam iidem omnes ex universa Moscovia merces, nempe mel, ceram, vitrum Moscowiticum, coria, pelles, plumas, picem &c. &c. secum avehunt; sed, extructa â Petro I. prope sinum Finnicum urbe Petropoli ad commercia ibidem stabilienda, facile credendum, non parum splendoris atque emolumenti illi urbi successu temporis decessurum. Non procul ab Archangelopoli locus est, ubi materia quædam reperitur, quæ per latitudinem in folia tenuissima divisa, vitrum Moscoviticum, Germanicè Frauen-Eiß dictum, præbet.

In Provincia *Novogardiensi* conspicua præ reliquis & *Novogardia magna*, urbs ampla, munita & ob commercia celebris, hinc exteri quoque eandem frequentant.

Provincia Plescoviensis, Twerensis, Bielkiæ, Rescoviensis, Rosthoviensis, Biela Ozora, Jeroslaviæ, & Cargapoliæ, urbes primarias habent ejusdem nominis. In regione vero Mordua & Pola oppida sunt nullius momenti.

In *Russia orientali* datur ducatus Wiatka, & regiones Vstiuga, Condora s. Condinsky, Jughoria, Petzora, Permia, quæ notiores.

In ducatu Wiatkæ præcipua urbs *Wiatka*, reliquæ provinciæ quoque urbes habent, quarum nomina cum regione sunt communia. In Condora & Permia nullus hactenus locus claruit.

In Lappia Moscovitica (Lappia enim in Suecicam, Danicam & Moscoviticam dividitur,) tres regiones notandæ, sc. Leporia maritima, Leporia Grandvicensis & Leporia Tersa, de quibus præter locum, *Kola* dictum, ubi mercatura viget, nihil memoratu dignum.

De Tartaria Moscovitica, quæ proprie ad Asiam spectat, capite sequenti agemus.

Regio hujus vastissimi Imperii paludibus, lacubus innumeris atque sylvis referta, & præcipue versus Septentrionem inculta, nam fruges ibidem nunquam matuescunt. Animalium ingens datur copia, siquidem non desunt ursi atque alces varii generis, mustelæ Scythicæ, martes, hinc pellium, præcipue hermelinarum & zibellinarum ingens commercium, quibus incolæ non solum sibi, sed & exteris atque vicinis regnis ob abundantiam prospicere possunt. Corium Moscoviticum, præcipue der Juchten, per totam Europam celebratur. Tandem ceræ quoque, mellis, salis, sulphuris, cannabis, picis &c. largissimus proventus. Ferri quoque, chalybis atque æris fodinæ reperiuntur.

Jure belli sequentes Provinciæ hoc seculo ad Imperium Moscoviticum acceserunt:

1. Non exigua pars Regni Sueciæ, scilicet Livonia, quam ab Anno 1704. Russi occuparunt. Tota deinde Ingria, & pars Finniæ, de quibus infra pluribus.

2. *Ducatus Curlandiæ*, cujus caput *Mittavia*, sedes quondam ducum, copiosa urbs, & aliquibus in locis, præcipue ad arcem, probe munita; hanc sequuntur *Goldinga*, arcem habens, *Liba* & *Vinda*, utraque portu, ultima quoque insigni arce celebris.

3. Magna pars *Georgiæ* & provinciarum Persicarum, nempe Kilania, Chirvania, in qua præcipue Alexandria Albaniæ (Derbent,) Backu, Schamachia, Dagestan, in qua Tercki, Andreapolis &c. quæ omnia ab A. 1722. dejecto a suis infelici Rege Persarum, in ditionem Russorum pervenere.

III.
Imperium Turcicum.

Imperium Turcicum amplissimum quoque est, nam non solum magnam Europæ partem constituit, sed etiam longo tractu in Asiam atque Africam extenditur, hinc non

incongrue in Turciam Europæam, Aſiaticam & Africanam dividitur. In ſpecie diſtinguitur in viginti quinque regimina, quorum ſeptem in Europa, ſeptendecim in Aſia, & unum in Africa reperitur.

Turcia Europæa multas & notatu dignas complectitur provincias, quæ ſunt:

1. *Romania*, præcipua & maxima, cujus caput atque ſedes Imperatorum eſt *Conſtantinopolis*, magna, copioſa, & ad mercaturam urbs commoda, nam habet portum inter duo freta. In hac Patriarcha Græcorum, cui Archiepiſcopus aliique ſubſunt, habitat. Porro *Adrianopolis*, quæ, antequam urbs Conſtantinopolis Turcico ſubdebatur imperio, totius regni erat metropolis, ampla ſatis, dives, copioſa, muris atque turribus munita, ubi ob amœnum & ad venationem commodum regionis ſitum Imperatores Turcici ſæpiſſime commorari ſolent. Inter reliquas urbes hujus provinciæ adhuc notandæ *Gallipolis* atque *Philippopolis*, quarum illa a Græcis, Judæis atque Turcis habitata, hæc vero ſedes eſt Archiepiſcopi. Non procul a Gallipoli ſita ſunt duo notiſſima caſtella *Seſtus* atque *Abydus*, quæ fretum inter Propontidem atque Archipelagum contra navium hoſtilium incurſum tormentis bellicis defendunt.

2. *Bulgaria*, ubi præcipue notanda urbs *Sophia*, olim nota, atque *Sardicum* dicta, non exiguæ amplitudinis, & ob negotia populis affluens, ibi quoque Archiepiſcopus eſt. Hanc excipiunt *Varna* & *Siliſtria*, in quibus quoque Archiepiſcopi, & tandem *Nicopolis* &c.

3. *Servia* ex aliqua parte, nimirum Sangiacatus Scupienſis cum urbe *Scopia*, & Sangiacatus Cratovienſis, cum urbibus *Cratovvo*, *Niſſa* &c.

4. Quidam tractus in *Dalmatia* & *Croatia*. In Dalmatia eſt *Arcegovina* ſive *Hercegovina* caput provinciæ ejusdem nominis, ſedes Baſſæ. In Croatia excellit *Wihitia*, fluvio, velut inſula, circumdata. Reliqua & plurima hactenus Chriſtiani occupant.

5. *Boſnia*, quæ à perlabente fluvio in ſuperiorem & inferiorem dividitur; caput eſt *Jaicza*, locus munitus, caſtellum habet in rupe excelſa; porro *Banialuca*, ſedes Baſſæ, *Serajo*, *Schvvonika*, *Wartoſayne* &c.

Præter dictas hactenus provincias ad Turciam Europæam quoque ſpectat maxima pars Græciæ, reliqua vero Venetis paret. Tota regio in terram firmam & in inſulas circumjacentes dividitur, terra firma adhuc hodie in ſex provincias, Albaniam, Macedoniam, Epirum, Theſſaliam, Achajam & Moream diſtinguitur, quarum nomina, excepta Albania & Morea, antiquis jam temporibus nota fuerunt.

6. *Albania*, in qua plures inſignes ſatis reperiuntur urbes & fortalitia, maximam partem Turcis ſubdita; Hujus caput eſt *Scodra* ſ. Scutari, ampla & munita urbs, ſedes quoque Baſſæ. Dein notatur *Durazzo*, antiqua & portu inſignis urbs, ab origine *Epidamnus*, poſtea a Romanis *Dyrrachium* appellata. Porro *Albanopolis*, olim caput provinciæ, cui quoque nomen dederat, ſed noſtris temporibus priſcum ſplendorem perdidit. *Antibarum* ſ. Antivari, antiqua urbs, ſiquidem creditur eſſe *Doclea* jamdudum nota, & ad Mare Adriaticum ſita. Inde aliquot milliaribus diſtat *Olcinium* ſ. *Dulcigno*, vetuſtate & portu celebris locus, & *Aulon* ſ. *Valona* itidem portum habet, munimentisque cingitur.

7. *Macedonia*, tota quoque Turcis ſubdita, antiquis, præcipue Alexandri M., temporibus regnum erat celeberrimum. Hodie in quatuor partes, Macedoniam in ſpecie, Jamboli, Janna & Camenolitari diſpeſcitur. Præcipuæ urbes ſunt *Theſſalonica* ſ. Salonichi, copioſa, ſerico, lana variique generis coriis negotia exercet. Nota erat jam Pauli Apoſtoli ævo, quod ex ejus epiſtolis ad Theſſalonicenſes ſcriptis, patet. Porro *Achrida* ſive Ochrida, emporium celebre. *Veria*, olim *Berrhoa* dicta, Apoſtolorum tempore quoque nota. Zuchria, olim *Pella* dicta, ubi natus Alexander M. *Libanova*, quondam *Stagira* nominata, patria Ariſtotelis, *Philippi*, cujus incolæ per Paulum Apoſtolum ad veram fidem & conſtantiam inſtituebantur, ad quos e carcere ille ſuam ſcripſit epiſtolam. Præterea ſunt *Chitro*, *Caſſandra*, *Emboli*, *Cavala*, *Jana*, *Larſo*, *Armiro*, *Volo* &c. &c.

8. *Epirus*, maximam partem quoque Turcico ſubjecta imperio, cujus præcipuæ urbes *Arta* ſ. Larta, *Chimera*, *Butrinto*, *Preveſa*, *Orchimo*, *Archiro*, *Elatria* &c. &c. *Larta*, olim Ambracia dicta, emporium eſt. *Chimera* exigua quidem, ſed portu celebris. Hujus regionis incolæ prædæ atque rapinæ dediti. *Butrinto*, alias Buthrodum, olim ſplendida urbs, hodie, poſtquam a Turcis perquam vaſtata, parvi eſt momenti, & hactenus ſub Venetorum dominio. *Preveſa* caſtellum eſt, A. 1684. a Venetis captum, ſed per pacem Carlovicenſem A. 1699. demolitum. De Orchimo, Archiro & Elatria nihil memoria dignum occurrit.

9. *Theſſalia*, hodie Janna dicta, ab urbe *Janna*, quæ munita & copioſa. Caput provinciæ eſt *Lariſſa*, præſtantiſſima fere urbs totius Græciæ, hinc nuper quoque Turcarum Imperator diu in illa ſedem fixerat, cum Conſtantinopolin ad tempus relinquere decreviſſet. Tandem *Zeiton* & *Pharſalia*, hodie Farſa dicta, prælio & victoria Julii Cæſaris contra Pompejum in campis Pharſalicis celeberrima.

10. *Achaja*, quæ hodie Livadia dicitur, partim Turcis, partim Venetis ſubjacet. Tota provincia conſtat quatuor partibus, quæ ſunt: Græcia proprie ſic dicta, Livadia, Stramulipe, & Attica, in quibus præcipua urbs *Athenæ*, nunc *Setines* dictæ, caput quondam Atticæ, & nobiliſſima Muſarum virtutumque ſedes. Urbem defendit vicinum caſtrum, Acropolis dictum; Incolæ potiores ſunt Judæi atque Græci, quamvis & Turcæ adſint, utpote ſub quorum vivunt Imperio. Præclara inſuper Græcorum Republica erant *Thebæ*, nunc pagus turcicus. In hac provincia olim quoque *Delphis* oraculo celebris innotuit. Hodie præcipua urbs in ea eſt *Naupactus* ſive Lepante, a Turcis Einebachii nominata, & juxta ſinum maris amœna ſitu, quatuor validis muris munita & portu conſpicua, optimum in hac regione naſcitur Græciæ vinum. Cæterum & iſta urbs Turcarum ſubeſt imperio.

11. Infima pars Græciæ, *Morea* ſcilicet peninſula, olim Peloponeſus dicta, quondam Turcis, deinde Venetis, tandem hactenus iterum Turcis ſubdita. Conſtat quatuor provinciis, ſc. Sacania, Clarentia, Belvedere & Tzakonia.

In Sacania caput eſt *Nauplia* ſ. Napoli di Romania, urbs ampla, munita & propter ſinum maris ad commercia opportuna, ſedes olim Gubernatoris Turcici, A. 1686. vero a Venetis oppugnata & capta. *Argos* quoque olim in hac regione urbs erat celebris, præcipue autem *Corinthus* prope Iſthmum, quæ tamen hodie nec copioſa amplius, nec, quia muris caret, conſideratu digna.

Clarentia olim ducatus nomine veniebat, in qua *Patræ* ſ. Patraſſo prævalet, urbs ampla, & Judæis negotiatoribus repleta, munita inſuper, denique *Clarentia*, *Caminza* &c. exigui momenti oppida.

In Belvedere caput eſt *Methone* ſ. Modon, ob fortalitium, portum & mercaturam locus celebris. *Corone* & *Navarino* oppida, quæ portum habent.

In Tzaconia præcipuæ urbes ſunt *Malvaſia*, ſ. Napoli di Malvaſia, *Miſtra*, *Zarnata*, *Paſſava*, &c. *Napoli di Malvaſia* inſigne fortalitium eſt, nam A. 1690. poſt biennem demum obſidionem Venetis ceſſit. Optimum in hac regione naſcitur vinum, quod ab urbe Malvaſia Malvaticum dicitur.

Miſtra, olim *Lacedæmon* ſ. *Sparta* dicta, & celeberrima olim Respublica, ampla adhuc eſt, duoque magna habet ſuburbia, cum caſtro, ob antiquitatem notanda, ſiquidem tempore Jacobi Patriarchæ exſtructam dicunt. *Paſſava*, olim inſignis erat, ſed A. tamen 1685. à Venetis nimium diruta. *Zarnata* munimentis cincta, eodem tempore Turcis eripiebatur.

Regio harum provinciarum verſus occaſum montoſa eſt, verſus meridiem plana: In montibus fodinæ æris argentique vivi reperiuntur: Sylvæ quoque montium feris abundant.

Inſulæ ad Græciam pertinentes ſunt:

1. *Candia* ſ. *Creta*, quæ e majoribus inſulis eſt, & a quatuor urbibus primariis in quatuor partes dividitur, ſuntque *Candia* in ſpecie, *Cydonia* ſ. Canea, *Rhitymum* ſ. Retimo, & *Cytæum* ſ. Setia. In Candia in ſpecie caput eſt *Candia*, perquam munita & portu celebris eſt. Ferunt in ejus obſidione, quæ A. 1669. contigit, 500000. Turcarum periiſſe. In Canea ejusdem nominis urbs *Canea* reperitur, quæ munita & portu prædita, olim *Cydonia* vocabatur, Græci illam matrem urbium appellabant. In Retimo excellit *Rithymum*, ubi præter portum caſtellum quoque eximium eſt. In Setia præcipua urbs *Cytæum* ſ. Setia. Prædictæ quatuor urbes, ut & alia loca, inſuper & duo fortalitia, *Suda* atque *Spinalonga*, Turcarum hactenus ſubſunt imperio.

2. *Negroponte*, inſula major, olim *Eubœa* atque *Chalcis* nominata, cujus caput *Eubœa* duplici caſtello munita; ſuburbia Græcis ſunt repleta, ipſam urbem Turci atque Judæi poſſident; prope hanc Euripus eſt, qui ideo notandus, quod in illo alio plane atque inſolito modo fluxus atque refluxus contingere ſoleat, cujus rei cauſam cum Ariſtoteles perſcrutari non potuiſſet, dicitur ſe in illum præcipitaſſe.

Profert Candia fructus præſtantiſſimos, optimaque vina, inſula vero Negroponte abundat goſſypio & pretioſi generis marmore.

In mari Jonio dantur etiam inſulæ, ſed prædictis duabus minores, quarum præcipuæ ad Venetos ſpectant & ſunt:

1. *Corcyra* ſ. *Corfu*, quæ dividitur in quatuor partes, urbem præcipuam atque antiquam habet ejusdem nominis, caſtellis firmatam, inſuper portum inſignem.

2. *Cephalonia*, habet caput *Cefaloniam* & in ſeptem partes dividitur, Archiepiſcopus urbis græcam profitetur religionem.

3. *Zacynthus* ſeu *Zante*, in tres partes diviſa, cujus caput eodem gaudet nomine, ibi portus & caſtrum in monte ſublimi munitiſſimum eſt.

4. *Cerigo*, olim *Cythera* dicta, proprie quidem eſt inſula maris Ægei, quia vero ad Rempublicam Venetam pertinet, eam hic commemorandam duximus: Caput eſt *Cerigo*, olim *Porphyris* dicta, hanc natura & ars defendit.

5. *Curzolari*, ſive Echinades, quinque parvis inſulis conſtant, in his primaria urbs idem cum inſula habet nomen.

6. *S. Maura*, de qua idem, quod in præcedenti, dicendum.

Proventus in his inſulis, olei, vini, uvarum paſſarum, olivarumque datur uberrimus.

4. Inſularum maris Ægei ingens eſt numerus, quæ ut plurimum Turcis parent. Notiſſimæ ſunt: 1. *Lesbus*, hodie Metelino dicta, cujus caput *Metelino*. 2. *Lemnus*, nunc Stalimene, ubi terra Lemnia reperitur. Caput eſt *Stalimene*. 3. *Samus* ſ. Samo, ab antiqua & celebri urbe *Samo*, quæ Pythagoræ fuit patria, nota. 4. *Chius*, nunc Scio, ob copiam Maſtiches, die Maſtix-Inſul dicta, cujus caput *Scio* caſtro & portu munita. 5. *Icaria*, nunc Nicaria, ab Icaro, Dædali filio, ſic dicta. 6. *Delus*, hodie Sdilles, ex hiſtoricis ſcriptoribus notiſſima. 7. *Naxus*, hodie Naſcia inſularum in Archipelago pulcherrima. 8. *Paros*, nunc Paxio, a candicante marmore celebris. 9. *Andrus* ſive Andre. 10. *Pathmos* ſive Palmoſa, in qua Johannes Evangeliſta Apocalypſin ſcripſiſſe fertur.

Eadem ferme in prædictis, quam inſularum in mari Jonio jacentium, eſt fertilitas.

Tandem huc referri poſſunt duo ducatus, *Valachia* ſcilicet & *Moldavia*, ſiquidem horum principes vaſalli dicuntur imperatoris Turcici.

Vallachiæ Gubernator dicitur Waiwoda, fide Turcis adſtrictus, quibus ſingulis annis magnum ſolvit tributum. Ejus ſedes *Bukereſt* vocatur, quondam præcipue erat *Ternovvizza*, quod hodie interdum tantummodo fieri ſolet. Reliqua ſunt *Kempelung*, *Piteſt*, *Cſerneteſt*, *Krajova*, *Cſemez*, *Ploëſt* &c.

Ducatus Moldaviæ itidem Turcis tributarius, & a Waiwoda, qui ſæpe Hoſpodar dicitur, gubernatur, cujus ſedes eſt *Taſſy*, ſive Jaſſy; caput ducatus eſt *Sekzovva*.

In his ducatibus frumentorum, ceræ & mellis datur copia: Equi inter præſtantiſſimos Europæ numerantur: Res pecuaria quoque ibidem floret.

II. De Regnis

I. Portugallia.

Portugalliæ regnum olim pars erat Hiſpaniæ, poſtquam vero illud ab hac ſeparatum fuit, peculiare cum Algarbia conſtituit regnum. Credunt Portugalliam ſic dici a nobili portu ad oſtia Durii, non procul ab urbe Porto, quam incolæ Portugallo vocant, ſive Portus-cale, cui jam Port a Port nomen eſt. Dividitur in ſex provincias, quæ ſunt: 1. provincia Cis-Tagana. 2. Trans-Tagana. 3. Beira. 4. Interamnenſis. 5. Trans-montana. 6. Regnum Algarbiæ.

1. In Provincia Cis-Tagana, Portugallis Eſtremadura dicta, caput regni ad Tagum fluvium eſt *Lisbona*, ſedes Regis atque Archiepiſcopi, præter quem adhuc duo, & decem Epiſcopi in regno reperiuntur. Florent ibi commercia & ſtudia ob Academiam celebrem. Porro *Setubalia* ſive S. Hubes, portu inſignis: *Leiria*, ubi Epiſcopus, & *Santarein*, ſive *Irenopolis* &c. Fert hæc provincia ſalis, vini, olei atque mellis copiam.

II. In provincia Trans-Tagana, Portugallis Alentejo dicta, præcipua urbs dicitur *Ebora* ſ. Evora, quondam ſolio regio deſtinata: ibi Archiepiſcopus eſt atque Academia. Inter reliqua oppida ſunt *Beja*, ſ. *Pax Julia*, *Portalegere*, ſ. Portus alacris, *Elevas* ſ. Elvæ, quorum duo poſtrema caſtra ſunt, & ſedes Epiſcoporum: *Olivenza* ſ. Oliventia &c. Terræ fertilitas in hac provincia commendatur.

III. Beira primariam habet urbem *Conimbram* ſeu Coimbram; epiſcopali ſplendet ſede, & Academia celebris redditur. Hanc excipiunt, *Guarda*, *Lameca*, & *Viſeum*, tres ſcilicet Epiſcopatus. *Caſtell Branco* ſ. Caſtellum album & *Salvaterra* noviſſimo bello Hiſpanico claruerunt.

IV. Provincia Interamnenſis, ſ. Entre Minho, e Duro, Durio ſc. & Minio terminata, metropoli gaudet *Bracara*, hodie Braga, primarii Archiepiſcopi, Primas Hiſpaniæ dicti, ſede; Sequitur *Porto*, ſive Portus Cale munitiſſimus, unde diverſæ Europæorum nationes inter plures merces olei copiam avehunt.

V. Transmontanæ regionis, alias Tra los montes dictæ, eſt *Braganca*, Ducibus Bragantinis nomen ſuppeditans, unde hodierni Portugalliæ reges originem ducunt. Non procul ab hac ſita eſt *Miranda* Durii, ſedes Epiſcopi.

VI. Algarbia minima Portugalliæ eſt provincia, gaudet tamen regni titulo, ſiquidem illam Alphonſus III. dotis nomine accepit, ſeque regem Algarbiæ nominavit. Primaria urbs eſt *Tavira* ſive Tavila, porro *Faros* ſive Pharus, ubi Epiſcopus. Large profert hæc tellus uvas paſtas, olivas, ficus, amygdala. Fluvii piſcibus ſcatent, regio tamen non ſolum hic, ſed & in tota Portugallia montoſa eſt, unde res frumentaria anguſta. Reperiuntur quoque metallorum fodinæ, quarum optima & argentifera eſt in regione Guacaldana, ſed Portugalli in India potius aurum atque argentum quærere jam ſolent.

De iis, quæ Portugalli in reliquis orbis partibus poſſident, agetur infra pluribus.

II. Hiſpania.

Hiſpania merito inter maxima Europæ regna refertur, ſiquidem non ſolum plura continet regna & provincias, ſed etiam præter hæc in exteris regionibus aliis adhuc regnis atque populis imperat.

Vulgo dividitur Hiſpania in duo regna majora: Caſtiliam atque Arragoniam, accuratius tamen in quatuordecim partes & provincias, ut plurimum regni titulo gaudentes, diſpeſcitur, quibus aliquæ adjunguntur inſulæ. In medio enim regionis ſunt duo regna: Caſtilia ſcilicet nova atque vetus. Ab his verſus Occidentem iterum duo: Legio atque Andaluſia cum Extremadura provincia. Verſus meridiem tria: Murcia, Granada & Valentia. Verſus ſeptentrionem regnum Galliciæ & duæ provinciæ, Aſturia & Biſcaja; verſus orientem duo regna: Navarra & Arragonia, & Catalonia provincia. Huic adjacent inſulæ Baleares atque Bityuſæ dictæ.

I. Caſtiliæ novæ, imo totius Hiſpaniæ caput eſt *Madritum*, urbs ampla & copioſiſſima præ reliquis, ſedes regia ob auræ ſalubritatem. Porro *Toletum*, in centro Hiſpaniæ ſitum, Madrito, quia absque muris eſt, firmius, ubi Archiepiſcopus & Academia. *Complutum* ſive Alcara des Henares, Academiam habet & celeberrimum D. Laurentii monaſterium *Eſcurial* dictum, ad cujus ſtructuram fundatorem Philippum II. ſupra viginti milliones impendiſſe ferunt. Inter alia notari hic merentur Bibliotheca atque familiæ regiæ ſepulchra.

Præcipuum inter reliqua eſt hoc regnum, imo quaſi cor Hiſpaniæ, & cœli temperie fruitur ſaluberrima.

II. Caſtiliæ veteris caput eſt *Burgos* ſ. Burgum urbs pulchra & non exiguæ magnitudinis, ubi Archiepiſcopus; hujus incolæ optima dialecto Hiſpanica utuntur. *Valladolit* ſ. Valliſolerum, amœniſſimus in Hiſpania locus, ubi quoque ſedes quondam erat regia. Ibidem eſt quoque Epiſcopus & Academia. Reliqua oppida ſunt *Segovia*, *Avila*, *Oſma*, *Callaborra*, *Sequenza*, in quibus epiſcopalis ſedes.

III. Legionis metropolis eſt *Leon* ſ. Legio, vetuſtate celebris, ubi ſedes Epiſcopi, ut & in *Palentia*, *Zamora*, *Civitad Rodrigo* ſ. Civitate Roderici, *Aſturiga*, & *Salamantia*,

quam ultimam Academia quoque exornat. Regio est montosa & sylvestris.

IV. Andalusiæ caput *Sevilla* audit, omnium Hispaniæ urbium nitidissima atque locupletissima, ubi Archiepiscopus atque Academia. Dignitate proxima est *Corduba*, urbs magna & pulchre exstructa, sedes Episcopi, qui subest Archiepiscopo Toletano. Porro notanda est in hoc regno *Gibraltaria*, olim Heraclea, castellum prope fretum Gaditanum, Estrecho de Gibraltar, situm, & quod ab A. 1704. vi pacis Ultrajectinæ ab Anglis possidetur. *Cadix* s. Gades, portus, ubi classis Hispanorum Americana auro & argento onusta appellere solet, floret adhuc, nec ulli civitatum Hispaniæ magnitudine, divitiis atque incolarum numero cedit, Episcopum quoque habet. *Jaën* magna & copiosa urbs, sedes quoque episcopalis. Ob fertilitatem telluris vocari hoc regnum solet granarium atque cella Hispaniæ.

V. Estremaduræ caput constituit *Badajos* s. Pax Augusta, fortissimum contra Portugallos propugnaculum, ubi etiam Episcopus. Porro *Merida*, *Placentia*, *Coria*, sedes quoque episcopales. Ad rem pecuariam commodissima hæc est regio, hinc ob pinguedinem pascuorum e longe dissitis locis eo pecudes aguntur, & ob floridam pratorum viriditatem κατ' ἐξοχὴν amœna provincia a quibusdam appellatur.

VI. Regni Murciæ metropolis est *Murcia*, quam incoluit Alphonsus rex, de Astronomico studio optime meritus. *Carthagena*, emporium atque fortalitium, sedes Episcopi, & portu eximio celebris. Hoc regnum montibus repletum parum fert frumenti; arborum tamen fructus copiose dantur, ita, ut hortus Hispaniæ vocari soleat.

VII. In regno Granadæ prævalet urbs *Granada*, ampla & muris cincta, ubi Archiepiscopus & Academia. *Malaga*, portu gaudet celebri. Communi nomine Hispanis totius regni audit armamentarium. Vino atque uvis passis claret. Episcopus subest Archiepiscopo Granadensi. Regio ab aëre salubri & fontibus limpidissimis aliisque rebus commendatur; hæc regio a Mauris quondam occupabatur, qui ob felicitatem soli Granadam subesse paradiso cœlesti firmiter crediderunt. Sericum hic conficitur & venditur exteris. Ajunt quoque, regales reditus ex foliis mororum singulis annis ad quadraginta millia coronatorum augeri.

VIII. Caput regni Valentiæ eodem nomine *Valentia* dicitur, ob ejus pulchritudinem ab Hispanis ipsis formosa appellatur. Ubi & Archiepiscopus atque Academia. *Alicante* s. Alone, non magna quidem, sed copiosa atque ditissima urbs, ubi commercia florent, nam prænobili vino, frumentis, oryza, lana, serico atque sale abundat.

IX. Regni Galliciæ primaria urbs est *Compostella* sive S. Jago di Compostella, sedes Archiepiscopi atque Academia. Celebris est ob religiosas peregrinationes ad S. Jacobum. Deinde *Corunna* & *Vigum* s. Vigos ob portuum commoditatem, *Bajonna* vero fortalitium, in finibus Portugalliæ notatur. Maximam partem hujus regni incultam dicunt, quamvis non desint pecudes, præsertim equi, pisces, ligna, vinum, ut & æris, plumbi, ferri atque cinnabaris fodinæ.

X. Asturiæ provincia præcipuam urbem habet *Oviedo* s. Opetum, ob multas antiquitates, celebre; Sedes est Episcopi, ubi & Academia floret. Primogenitus Hispaniarum regis nomen acquirit ab hac provincia, nam princeps Asturiæ dicitur. Regio petrosis montibus repleta, unde infœcunda est & parum culta.

XI. In Biscaja provincia eminet *Bilbao*, s. *Bellum vadum*, ob commercia insigne. Batavi atque Angli frequenter hic ferrum atque lanam mercantur. *Fuentarabia* s. Fons rapidus & *Victoria*, duo castella, Et *S. Andreo*, s. Andreopolis, *Laredum*, *Sebastianopolis*, tres portus. Amœna regio, nec infœcunda est. Optimum largitur ferrum, ex quo gladii Hispanici conficiuntur.

XII. Navarra dividitur in superiorem & inferiorem. Illa Hispanica est, hæc ad Galliam spectat. Navarræ Hispaniæ metropolis est *Pampelona* s. Pompejopolis, sic dicta, quod habuerit Pompejum M. fundatorem, ubi Episcopatus & Academia. Fertilitas terræ exigua est, pauci ob montes & sylvas adsunt incolæ, ad pecora alenda potior, quam ad agriculturam regio, quamvis & in quibusdam locis nec frumenta, nec vina desint.

XIII. Regnum Arragoniæ primariam agnoscit urbem *Saragossam*, ob vetustatem laudandam, ubi Academia & sedes Archiepiscopalis. Hanc excipiunt *Huesca*, s. Osca, *Albaracina*, *Terula*, & *Tarracona*, episcopali sede insignes. Siccitas soli montesque in hoc regno steriles producunt messes, hinc non a multis incolitur.

XIV. Catalonia, quæ ducatus nomine venit, *Barcellonam* habet metropolin, variis obsidionibus, insigni portu, Episcopatu, atque Academia præclaram. Porro *Terracona*, archiepiscopalis sedes, & Academia, item *Tortosa*, *Lerida*, *Girona*, tres Episcopatus & probe munitæ urbes, nec non *Certagne* s. Ceritania &c. Regio oleum, frumenta & vina large suppeditat.

Provincias Hispanorum in reliquis orbis partibus infra designabimus.

III. Gallia.

Inter præstantissima Europæ regna merito refertur regnum Galliæ, quod jam ex mandato Ludovici XIII. in duodecim provincias magnas dividebatur, quarum tres in medio reperiuntur, suntque Insula Franciæ, s. Isle de France, Orleans, s. præfectura Aurelianensis, & Lion s. præfectura Lugdunensis: tres versus septentrionem, sc. Bretagne, s. Britannia minor, la Normandie, s. Normannia & la Picardie, s. Picardia: tres versus meridiem, sc. Guienne, s. Aquitania, Languedocia & Provincia: tres quoque versus orientem sitæ sunt, sc. la Dauphine, s. Delphinatus, Bourgogne, s. ducatus Burgundiæ, & Champagne s. Campania.

I. Amœnissima & ditissima inter reliquas provincias est *Insula Franciæ*, & quia insimul caput regni *Lutetias Parisiorum* complectitur, hæc jure primum sibi vindicat locum. Pulcherrima & amplissima totius Europæ urbs ista non immerito appellanda, in qua Archiepiscopus, & quædam Academiæ, in artium atque scientiarum augmentum fundatæ, quibus etiam inservit observatorium magnifice exstructum.

Extra urbem reperiuntur arces regiæ, scilicet: *Versalio*, ubi Rex cum Aulicis frequentius, quam alibi, commoratur, hæc octavum mundi miraculum celebratur. Deinde *Marlia*, *S. Germain en Laye*, sive fanum S. Germani, *Meudon*, S. *Clou*, s. fanum S. Clodoaldi, *Vincennes* s. Nemus Vicenarum, *Fontainebleau* s. Fons Bellaqueus, *Chambor* aliaque ædificia pretiosissima. Aliæ quoque notandæ sunt urbes, *Nemours*, s. Nemosium, *Beauvais*, s. Bellovacum, *Senlis*, s. Silvanectum & *Soissons*, sive Suessio, quarum tres postremæ sedes sunt episcopales. *Ducatus* in hac provincia dantur: Chevreuse, Villeroy, Roche-guion, Monmorency, Valois, Boufleur &c.

II. Præfectura *Aurelianensis* optimis & maximis accensetur, cujus caput *Aurelia*, urbs antiqua & pulchra, ubi & Episcopus & Academia. Dividitur hæc præfectura in tredecim minores provincias. *Bourges* s. Biturix & *Tours* s. Cæsarodunum sedes sunt Archiepiscoporum. *Nevers* s. Nivernum, *Chartres* s. Carnutum, *Angers* s. Andegavum, *Poictiers* s. Pictavium & *La Rochelle* s. Rupella Episcopos habent. *Berry* s. regio Bituricensis, Nivernois s. tractus Nivernensis, Espernon, sive Sparnonum, Chartres s. Carnutum, Maine s. ager Cenomanensis & Anjou s. Tractus Andegavensis ducatuum nomine veniunt.

III. Metropolis provinciæ *Lugdunensis* est *Lugdunum* ad Rhodanum, urbs magna, munita, dives & propter commercia populis referta. Archiepiscopali inclarescit sede, priscis temporibus jam cognita fuit. Regio vina, fruges atque fructus producit, dividitur quoque in plures minores provincias. Inter ducatus numerantur Rouanes, Mercœur, Montpensier, Seneterre, Gramont & Mortemart. *Clermont* s. Clermontium & s. *Flour* s. Floriopolis, sunt sedes Episcoporum.

IV. *Britannia* minor dividitur in superiorem atque inferiorem. Præcipua superioris Britanniæ urbs est *Nantes* s. Nannetum, mercaturæ aptissima, & probe munita; Ibidem & Academia & Episcopus. *Rennes* s. Cledones, *Dol* s. Dola, *S. Malo* s. Fanum S. Maclovii & *S. Brieux* s. Fanum S. Brioci, itidem urbes sunt episcopales, quarum duæ posteriores portubus quoque sunt celebres. Inferioris Britanniæ metropolis est *Brestia*, hic præstantissimus in Europa portus & ingens rei navalis apparatus reperitur. Porro *Vannes* s. Venetiæ, *Quimper* s. Corisopitum, *S. Paul de Leon*, s. Fanum s. Pauli Leonini, & *Treguier* s. Trecorium, urbes episcopales. *Pontieu*, *Rets* s. Gondy, *Rohan*, *Coassin* &c. sunt ducatus Britanniæ. Fertile solum profert frumenta, cannabim, vina, nec desunt ferri, plumbi atque argenti fodinæ; insimul ob pratorum felicitatem armentorum datur copia.

V. *Normannia* etiam in superiorem & inferiorem distinguitur. Totius provinciæ caput est *Rouen* s. Rothomagus urbs inter amplissimas, opulentissimas & antiquissimas Galliæ referenda, sedes est Archiepiscopalis & Parlamenti, ubi & commercia florent. Præter hanc notandi sunt duo portus, sc. *Havre de Grace* s. Portus Gratiæ, & *Dieppe* s. Deppa. Inferioris Normanniæ præcipuus locus *Caën* s. Cadomum dicitur, sedes Episcopi, magna, dives & copiosa urbs, insuper Academia celebris. *Auranches* s. Abrincæ, *Coutance* s. Constantia, & *Bayeux* s. Bajocæ, tres urbes sunt episcopales. Ducatus Normandiæ vocantur Alençon, Aumale, Elbeuf, Dauville, Aumont &c. &c. Abundat hæc regio frumento, pecoribus, fructibus & sylvis; Dantur quoque lapidicinæ, aquæ salubres, & quædam ferri atque æris fodinæ.

VI. *Picardiæ* caput & sedes episcopalis est *Amiens* s. Ambiana, loco amœnissimo sita, platearum magnitudine atque ædificiorum pulchritudine, nec non variis opificum fabricis conspicua. Præter hanc notantur *Calais* s. Caletum, *S. Quintin*, s. S. Quintini fanum, *Ardres* s. Ardrerium, *Boulogne* s. Bononia, & *Peronne*, s. Perona, quæ sunt munita. *Bournonville*, *Aluin*, *Chaunes*, *Boufleurs*, sunt ducatus. Cœterum parce vinum fert hæc regio, licet fructuum atque frumentorum sit feracissima.

VII. *Gvienna* dividitur in duas partes, sc. in Guienne s. Gviennam in specie, & Gascogne s. Vasconiam. Guiennæ caput est *Bourdeaux* s. Burdegala, urbs hæc inter antiquissimas & pulcherrimas totius regni eminet. Parlamento, Academia & sede Archiepiscopali celebris est. Commercia Commerciis & fertili fruitur solo. Præter hanc notandæ sunt urbes & Episcopatus sequentes: *Limoges* s. Lemovicum, *Saintes* s. Santones, *Agen* s. Aginnum, *Cahors* s. Divona Cadurcorum, *Bazas* s. Vasates, *Perigeux* s. Petricorium & *Rodes* s. Ruteni. In Vasconia prævalet *Aux* s. Augusta Ausciorum, sedes Archiepiscopi. Porro *Bayonne* s. Bajonna, urbs episcopalis, mercaturæ dedita, munita & clavis Hispaniæ. *S. Pau* s. Palum, *Condom* s. Condomum, *Dax* s. Aquæ Tarbellicæ, in quibus Episcopi. Aiguillon, Fronsac, de la Force, Noailles, Montausieur &c. ducatus sunt. Regio amœna est & ferax, cœli temperies salubris.

VIII. *Langvedociæ* tres partes sunt: 1. superior. 2. inferior. 3. Cevenne s. Tractus Cemmenius. In Languedocia superiore caput est *Toulouse* s. Tholosa, ibidem Archiepiscopus, parlamentum atque Academia datur. Ob antiquitatem insuper celebranda. Præterea sunt *Alby* s. Albiga, sedes episcopalis, nec non *Perpignan* s. Perpinianum, fortissimum contra Hispanos propugnaculum.

Inter Langvedociæ inferioris urbes eminet *Narbonne* s. Narbo, sedes archiepiscopalis, antiquis temporibus jam nota, urbs valde munita. Deinde *Montpellier* s. Mons Pessulanus, sedes episcopalis & Academia. *Beziers* s. Biterræ, *Nimes* s. Nemausus &c. etiam episcopales. In tractu Cemmenio tres sunt Episcopatus, sc. *Mende* s. Mimatum, *le Puy* s. Anicium, & *Viviers* s. Vivarium. Multos hujus tractus incolas religionis causa arma contra regem movisse notum est. Ducatus, qui in hac provincia reperiuntur, sunt de Foix, Joyeuse, Harcourt & Vsez. Cœterum pulcherrima & præstantissima Galliæ regio est, quæ omne genus pomorum ac frumentorum fert, nec deficiunt vinum & feræ.

IX. *Provinciæ* caput dicitur *Aix* s. Aquæ Sextiæ, urbs antiqua, attamen pulchra & situ amœnissima, ubi & sedes est Archiepiscopi, parlamentum regium & academia celebris. *Arles* s. Arelate, urbs antiquitate clara & archiepiscopalis: *Antibes* s. Antipolis, *Marseille* s. Massilia, & *Toulon* s. Telo Martius portubus celebres, duæ civitates posteriores sunt episcopales. Notandus quoque in hac provincia ducatus, Villars dictus. Tellus, præcipue in parte inferiori, ferax frugum, olei, croci, ficuum, olivarum, malorum aureorum, citreorum atque punicorum.

X. *Delphinatus* in superiorem & inferiorem dividitur. Superioris caput vocatur *Grenoble* s. Gratianopolis, urbs ædificiis conspicua, sedes parlamenti atque Episcopi. Hanc excipit *Embrun* s. Ebrodunum, urbs Archiepiscopalis. In Delphinatu inferiore prævalet *Vienne* s. Vienna Allobrogum, sedes archiepiscopi; *Valence* s. Valentia, academia atque Episcopo gaudet. Ducatus hujus provinciæ dicitur Lesdigueres. Regio quidem montosa est, tamen habet fertile solum, ita ut sit ex præstantissimis Galliarum provinciis.

XI. *Burgundiæ*, quæ vulgo ducatus Burgundiæ vocatur, metropolis est *Dijon* s. Divio, parlamento regio urbs clara. *Macon* s. Matisco, Auxerre s. Antisiodurum, *Belay* s. Bellicum, *Chalon* s. Cabillonum, *Autun* s. Augustodunum, Episcopatus sunt. Ducatus nomine venit Bellegarde. Regio hæc ob fertilitatem mater vini atque frumentorum a quibusdam vocari solet.

XII. In *Campania* præcipue celebratur *Troyes* s. Tricassium, urbs antiqua & ob commercia insignis, sedes episcopalis. Porro *Reims* s. Remi, pulcherrima & antiquissima e Galliæ urbibus, sedes Archiepiscopi in regno primarii: *Sens* s. Senones, urbs antiquitate & Archiepiscopatu conspicua. Episcopatus hujus provinciæ sunt *Meaux* s. Meldæ, *Langres* s. Lingones, & *Chalons* s. Catalaunum. *Sedain* vero s. Sedanum & Joinville s. Joanvilla sunt duo principatus, præter quos etiam datur ducatus, *Beaufort* dictus. Cœterum quamvis regio ob multitudinem terræ albæ parum ferax sit frugum, nihilominus abundat vino generosissimo, quod exteris nationibus copiose divenditur.

Tandem perlustrabimus eas provincias, quas intra spatium dimidii seculi Rex Galliæ non solum hactenus occupavit, sed & per pacis instrumenta obtinuit, quæ sunt:

1. Comitatus Burgundiæ s. Franche-Comté, cujus caput *Besançon* s. Vesontium, urbs ampla & munita castro, urbs olim libera imperii, sed per pacem Noviomagensem anno 1670. cum territorio adjacente Galliæ Regi concessa, archiepiscopali sede & Academia, nec non parlamento clara, hujus Archiepiscopus quondam inter status imperii locum tenebat. *Dole* s. Dola, urbs elegans, antiquis temporibus jam nota, Academia & parlamento celebris. Præter hanc dantur *Gray* s. Grajum, *Vesoul* s. Vesulinum, *Salins* s. Salinæ, *Arbois* s. Arbosium, *Poligny* s. Polichnium, *S. Claude* s. Fanum S. Claudii.

2. Tres Episcopatus Lotharingiæ: Metæ, Tullum & Verodunum, ut & castrum ad Saram, *Saar-Louis* dictum, nec non *Longvvick* s. Longovicum, de quibus actum superius in capite de Germania.

3. Distrietus Alsatiæ, ultra Rhenum situs, cujus præcipuæ urbes *Argentoratum*, *Hagenoa*, *Colmaria*, *Landavium* &c. de quibus superius dictum.

4. Comitatus Artesiæ in Belgio Hispanico, cujus caput *Atrebatium* s. Arras, urbs vetusta, & munimentis firmata, præcipue castro ferme inexpugnabili prædita. Sedes quoque Episcopi est, qui Cameracensi subest. Præter hanc sunt & alia oppida probe munita, v. g. *S. Venant* s. Fanum S. Venantii, *Arien* s. Aria, & *Bethune*, s. Bethunia anno 1710. à Confœderatis expugnata, ut & *S. Omer*. s. Audomaropolis, *Hedin*. s. Hedinum & *Papaume* s. Papalma.

5. Pars Comitatus Flandriæ, in qua *Lille* s. Ryssel, Lat. Insulæ, urbs primaria, quæ ampla ædificiisque splendida, munimentis cincta & castello fortissimo firmata, attamen a Confœderatis A. 1708. expugnata. *Douay* s. Duacum, non minori laude fortalitium, ab A. 1710. duabus obsidionibus clarum. Præterea sunt *S. Amand*, *Armentieres* s. Armentariæ, *la Bassee* seu Bassea, *Winoxberg* s. Mons S. Vinoci, *Grevelingen* s. Gravelina.

6. Non exigua pars comitatus Hannoniæ, in qua præcipue *Valenciennes*, s. Valentianæ, urbs ampla, bene exstructa, & munita, commerciis, inprimis linteorum, quæ mira subtilitate hic texuntur, apprime nota. Huic succedit *Cambray* s. Cameracum, amplum quoque, splendidum & duobus castris firmatum. Laudantur etiam hujus oppidi lintea, quæ Germanis a Cammerich Cammer-Leinwand vocantur. Reliqua loca notabiliora & munita sunt. *Bouchain* s. Bochanium, *Maubeuge* s. Malebodium, *Quesnoy* s. Quercetum, *Philippeville* s. Philippopolis & *Landrecy* s. Landrecium.

7. Pars ducatus Luxemburgici, speciatim in hac *Montmedy* s. Mons Medius, castrum sc. in monte situm. *Thionville* s. Diedenhofen, Lat. Theodonis villa, fortalitium. *Herbemont*, *Neufchatel*, *Asfenay* s. Stenacum. *Marville* s. Martia Villa. *Damvillers* s. Damvillerium. *Jvoix* s. Epoisus.

Prædictæ sub numero 5. 6 & 7. partes per transactiones pacis Regi Galliæ sunt subjectæ, sicut inspicienti mappam hujus Atlantis, Belgium Hispanicum sistentem, singulari studio coloribus distinctam, clarius patebit.

8. Extra Europam Galli quædam in Africa possident, in America vero pluribus provinciis imperant, de quibus infra.

IV. Insulæ Britannicæ.

Regnum insularum Britannicarum complectitur duas majores & quasdam minores Insulas, quæ olim separata tria constituebant regna, Angliam scilicet, Scotiam & Hiberniam. Hodie uni regi parent. Prima e majoribus Britannia magna dicitur, comprehendens Angliam atque Scotiam. Secunda est Hibernia. Minores insulæ numero plures sunt, e quibus Hebrides atque Orcades præ reliquis notandæ.

Potissima & præstantissima pars insulæ majoris prioris vulgo in duas, licet admodum inæquales, partes dividitur, scilicet in regnum Angliæ & ducatum Walliæ. Regnum Angliæ septem continet provincias: 1. Essexiam, 2. Sussexiam. 3. Westsexiam. 4. Cantium. 5. Ost-Angliam. 6. Merciam. 7. Northumbriam. Wallia duas tantum: 1. Walliam australem & 2. Walliam borealam, five Southwalles & Northwalles. Dividi solet quoque Anglia in certos Comitatus, Anglis Shires dictos.

1. Essexiæ caput est *Londinum* & sedes regia, urbs inter maximas & copiosissimas Europæ referenda, nam ejus longitudo duo conficit milliaria germanica, latitudo vero fere ad milliare accedit; super 87000. ædificia continet, inter quæ non pauca pulcherrime sunt extructa. Templum cathedrale D. Paulo dicatum, lapideus pons Tamesi superimpositus, ut & domus communi mercatorum usui destinata (die Börse) splendidissimis in urbe ædificiis accensentur. Sedes insuper est Episcopi, Archiepiscopatui Cantuariensi subjecta. Regia scientiarum Societas eam reddit illustriorem. Extra urbem notandæ sunt arces regiæ: *Kinsington*, *Hamptoncour* s. *Hamptoni Curia* &c. &c. *Grenvicum* autem regio obs**r**vatorio superbit. Hanc urbem excipit *Colchester* sive Colcestria, urbs elegans & ampla satis, ferico atque pannis quæstum faciens. *Harvicum*, locus munitus & portu celebris. Inde per singulas septimanas binis vicibus in Belgium pertingit navis, quæ dicitur Paquet-Boote.

2. Sussexiæ urbs primaria est *Chichester* s. Cicestria, urbs bene exstructa, sedes Episcopi Cantuariensi Archiepiscopo subjecti. Deinde *Arundel* s. Aruntina, comitatus titulo gaudet, ob plurimas antiquitates, quæ ab ipsius possessoribus ex Asia illuc translatæ, celebris.

3. In West-sexia plures egregiæ reperiuntur urbes, scilicet: *Wincheſter* s. Vintonia, antiqua & Romanorum tempore cognita; Episcopatus Cantuariensi subest. *Portsmouth* s. Portus magnus, qui probe munitus & multis sumtibus fortior redditus, in hoc portu plurimæ naves bellicæ ædificantur atque armantur. Non procul abhinc sita est Insula *Wicht* s. Vectis, in qua *Newport* s. Novus portus, urbs magna, pulchra atque incolis frequens eminet. *Salisbury*, itidem magna atque ædificiis conspicua, sedes quoque est episcopalis. *Brifolium*, præclara urbs & probe exstructa, commerciis invigilat, sedes episcopalis est Cantuariensi subjecta. *Dorchester* s. Dorcestria ab optimi generis lana celebris. *Exceſter*, s. Exonia, sedes episcopalis, cujus incolæ præcipue pannis lucrum quærunt. *Pleymouth* s. Plimuthum, præditum portu præstantissimo, hinc negotiando nulli Angliæ urbi cedit. His adde *Falmouth*, qui & portum habet, & *Windsor* s. Vindesorium, arce regia ornatum.

4. In Cantia prævalet *Cantuaria*, urbs non adeo quidem magna, ex præcipuis tamen Angliæ est, sedes Archiepiscopi, qui Primas regni dicitur. Porro *Rochester* s. Roffa, emporium nobile, ubi & naves conficiuntur, portum habt atque Episcopatu gaudet. *Dover* s. Dubris, urbs maritima, castello firmata & portu insignis est. Inde plerumque in Galliam tendunt peregrinantes.

5. In Ost-Anglia merito primo loco nominanda venit *Cantabrigia* s. Cambridge, ob Academiam, quæ jamdudum ibi fundata, celeberrima. Deinde *Ipſwich* s. Gippevicum, emporium nobile, ubi lanaria & lintearia negotia præcipue florent. Porro *Nordwich* s. Nordovicum, urbs permagna atque episcopalis.

6. Mercia, non exiguam Angliæ partem constituens, varias complectitur urbes, ex quibus notissima *Oxford* s. Oxonia, sedes Episcopi Cantuariensi subjacens, Academia celeberrima, ubi Bibliotheca Bodlejana, Theatrum Sheldonianum & Musæum Athmolianum visu digna sunt. Dein *Chester* s. Cestria, copiosa atque ædificiis splendida urbs. Gaudet portu, ubi naves conscendere ii solent, qui tendunt in Hyberniam, illuc enim ibidem præcipuum negotium dirigitur. Episcopus hujus loci subest Archiepiscopo Eboracensi. *Gloceſtria* templo cathedrali superbit, quod è pulcherrimis Angliæ ædificiis eminet. Episcopus quoque ipsi est, & sæpissime quidam è familia regia Dux Gloceſtriæ vocatur. *Shrowsbury*, s. Salopia, urbs ampla & pulchra, nec non munita, ob commercia, præcipue pannorum, copiosa & bene nota. *Lincolnia* magna & antiqua urbs. Templum primarium in hac magnifice extructum, ab insolitæ magnitudinis campana commendatur. Episcopatus Cantuariensi Archiepiscopatui subjacet. *Worcheſter* s. Vigornia etiam episcopalis est, ubi optimi conficiuntur panni, commercium inde quoque ibidem floret. Præterea reperiuntur *Buckinghamia*, *Hundingtonia*, *Varvicum*, *Nottinghamia*, *Liceſtria*, *Monumethia*, *Northantonia*, in quibus nihil occurrit, quod notatu dignum sit.

7. Northumbriæ caput est *Eboracum*, urbs, si Londinum excipias, optima, amplissima & pulcherrima Angliæ. Archiepiscopatus hujus urbis non quidem præcipuus est, antiquissimus tamen regni creditur. Porro *Hullum*, emporium nobile, munimentis optime firmatum, portu atque armamentario insigni præditum. *Lancaſtria*, parvum, sed non levis momenti fortalitium, incolarum penuria laborat. *Barvicum*, ampla, elegans atque munitissima urbs, quæ inter præstantissima munimenta Angliæ refertur. Nomen ex hac dari solet Duci Barvicensi. *Durham* s. Dunelmum urbs antiqua est, sedes Episcopi, Archiepiscopo Eboracensi subditi, & ab Episcopo Londinensi præcipui. *Carlile* s. Carleolum, munitum atque episcopale, Eboracensi Archiepiscopatui subjacet &c.

Altera pars Angliæ *ducatus Walliæ* dicitur, exiguo quidem tractu comprehensus, notissimus tamen, quia nomen atque titulum dat primigenio Regis Angliæ filio. Olim in tres provincias dividebatur, sc. Northwalles s. Walliam borealem, Powisiam & Southwalles s. Walliam australem. Postquam autem subsequenti tempore certi Comitatus Walliæ Angliæ sunt adscripti, hinc duæ tantum hoc ævo numerantur partes, Wallia sc. borealis, & Wallia australis. Utraque comprehendit sex Comitatus, at vero exiguos. Ad Walliam australem pertinet: Cardiganshire, s. provincia Ceretica: Radnorshire s. Radnoria: Brecknockshire s. Brechinia: Glamorganshire s. Clamorgania, Carmarthenshire s. Maridunensis & Pembrockshire s. Pembrochiensis. Ad Walliam vero borealem spectat: Flintshire s. Flintensis; Denbigshire s. Denbighensis: Carnarvanshire s. Arvonia; Merionetshire s. Mervinia: Mongomeryshyre s. Mongomerienſis: & Anglesey s. Mona Insula. Urbes hæc pars complectitur parvas & nullius fere momenti, præterquam quod *Milfordia* portu gaudeat præstantissimo, nam in hoc mille naves simul tuto persistere possunt: Porro quod *Landava*, *S. David* & *Fanum S. Asaphi* sint sedes Episcopi.

Si fertilitatem hujus regni spectes, hoc proventu frugum abundat, pascua pecoribus, præcipue ovibus alendis, aptissima sunt. Vinearum quidem cultura destituuntur incolæ; optimi tamen generis lana, corium, stannum, equi, canes item aquæ salubres, ostrea atque pisces marini, variæ ferarum species aliaque vini penuriam cumulate compensant. Ducatus Walliæ ob copiam montium minus idoneum ad agriculturam habet solum, rei tamen pecuariæ optime inservit. Notandum quoque, in hoc tractu incolas antiqua adhuc & genuina Britannorum lingua uti, quæ ab hodierna penitus discrepat.

Altera pars Insulæ prædictæ majoris dicitur *Regnum Scotiæ*, quod a fluvio Tavo s. Tay in Highland & Lowland, s. in Scotiam meridionalem & septentrionalem dividitur. Utraque diversas comprehendit provincias. Urbium hujus regni minor est numerus, quam Angliæ, neque tanta ibidem portuum celebritas.

Scotiæ australis, imo totius regni metropolis est *Edenburgum*, urbs ampla atque ædificiis splendens, castello fere inexpugnabili firmata, sedes episcopalis atque Academia est. Nullus hanc urbem præterlabitur fluvius, hinc illa quoque ad commercia parum idonea est, interim a vicino oppido, *Lyth* s. Letha vocato, quod alluit exiguus fluvius, vario rerum necessariarum apparatu instruitur, ipsiusque portu in subsidium fruitur. *Glascovium*, priori non inferior urbs, sedes archiepiscopalis atque Academia. *S. Andrevvs* s. Andreopolis, elegans & celebris portu, sedes Archiepiscopi, qui primas Scotiæ dicitur, & Academia ibidem reperitur. *Sterling* s. Strevelinum castello firmatum, quod clavis in Scotiam habetur. Ab hac urbe genus quoddam monetæ Anglicæ hic loci primum cusæ nomen sorticum est, ipsis Sterling dictum. Inde parvo spatio distat *Severi Murus*, nunc *Grahamsdam* dictus, longitudine triginta sex milliaria adæquans, pro avertenda Scotorum in Britanniam irruptione quondam extructus. *Dumbar* s. Dumbarum, *Coldingham* s. Colania, *Dumfrey* s. Dumfrega, *Annandan* s. Annandia, *Ayr* s. Aera, *Dunſtafug* s. Stephanodunum, *Withern* s. Casa candida, *Dumblain* s. Dumblanum, *Abernethey* s. Abrenethum &c. nihil suppeditant, quod dignum sit notatu.

Scotiæ septentrionalis caput est *Aberdonia*, sedes episcopalis, Academia & commerciis celebris. Non procul ab hac sita est *Aberdonia nova*. *Brechinium*, *Elgis*, *Duncaledonia*, *Chanoricum* & *Dornocum* sedes sunt episcopales. *Dundee* s. Taodunum fortalitium est. *Innernium* atque *Perthum* emporia sunt.

Adnumerantur huic regno Hebrides atque Orcades insulæ.

Hebrides ad Occidentem Scotiæ sitæ, Scotis the Western Islands dictæ, non parvus earum est numerus. Præcipuæ sunt: Lewis s. Leogus, Skye s. Scia, Mull s. Mula, Arran s. Arania, Yla atque Vistus. In Kolumkil s. insula S. Columbi oppidum est ejusdem nominis, in qua Episcopus Glascovienſi subditus.

Orcades s. Orckney Islands 30. & plures numero ad septentrionale latus Scotiæ sitæ. Harum tredecim tantum suos habent incolas, præcipuâ earum vocatur *Mainland* s. Pomona, sedes Episcopi Andreopolitano subditi.

Hujus regni solum fertilitate quidem cedit Angliæ, non desunt tamen fruges, pisces, aves, ligna, carbones, auri atque argenti venæ, plumbum atque ferrum, ambra & margaritæ. Commendatur quoque insularum fœcunditas; Orcades præcipue stanni, ferri atque plumbi fodinas subministrant, ibidem celebris est halecum captura.

Altera e majoribus Britanniæ Insulis constituit *regnum Hiberniæ*, quod antiquis temporibus in quinque provincias dividebatur, quarum unaquæque peculiare suppeditabat regnum: hodie quatuor tantum in eo exhibentur provinciæ, quæ sunt: Ulster s. Vltonia, Leinster s. Lagenia, Connaughty, Connacia, & Mounster s. Momonia. Harum subdivisio in Comitatus fieri solet. Metropolis totius regni est *Dublinum*, urbs ampla, pulchra & copiosa, sedes Vice-regis atque Archiepiscopi, Academia atque commerciis, ob portus opportunitatem, maxime florens. *Limrick* s. Limmericum firmissima urbs Hiberniæ, sedes Episcopi Cassilienſi Archiepiscopo subjecti. *Armachia* sedes Archiepiscopi atque primatis Hiberniæ, ob bella intestina pristino splendore orbata. *Londondery* s. Londino-Deria, munita, A. 1689. per obsidionem celebris reddita. *Kildaria*, sedes episcopalis Dublinenſi subjecta. *Kilkennia*, itidem sedes episcopalis. *Cassilia*, multas perpessa molestias, paucos habet incolas, sedes tamen est Archiepiscopi. *Gallvvay* s. Galliva, urbs pulchritudine, incolarum frequentia, munimentis atque portu amplissimo inprimis nobilis. Reliqua oppida, *Vexfordia*, *Kinſalia*, *Carlingfordia*, *Eniskilling*, *Karikvergus* &c. parvi sunt momenti.

Regio hujus regni herbis luxuriosa & ad pecorum pastum aptissima, frumentorum quoque atque pomorum nulla est penuria. Fluvii piscibus repleti, præcipue salmonibus. Memoratu dignum, neque vermes neque araneas in sylvis reperiri, adeo, ut cæsa ligna, si his domus extruatur, talia insecta in ea vita privent. Rarissime quoque dantur lupi, nam ab incolis quondam ob eorum copiam & grave datum damnum penitus ferme extirpati. Loca in aliis orbis partibus regno Angliæ subdita infra indicabimus.

V. Dania.

Regnum Daniæ pariter, sicut præcedens, e duabus majoribus & diversis minoribus constat insulis, quibus etiam additur peninsula. Prima e majoribus Seelandia, altera Fionia dicitur. Minorum insularum numerus ad novem extenditur, quæ tamen omnes perparvi sunt momenti. Peninsula vocatur Jutia.

Seelandiæ caput est *Hafnia*, sedes regia, portu præstantissimo, Academia, munimentis & Gymnasio equestri celeberrima. *Rothschilda*, fancita ibidem inter Danos & Suecos pace, nec non Regum sepultura insignis. *Helsingora* cum adjacente castro, Cronæburgum dicto, ubi maxima freti angustia, & præternavigantes vestigal maritimum solvere tenentur.

Fioniæ primaria urbs *Ottonia* vocatur, satis munita, & præcipuum Insulæ emporium. Hanc excipit *Neoburgum*, munimentis itidem firmatum & portu gaudens insigni, sedes quondam regia.

E minoribus Insulis est *Lalandia*, in qua *Naſcoa* præcipue notatur: Falstria, in qua *Nicoping*: Langenlandia octodecim continet pagos cum castro. Insulæ Mona, Samsoa, Soltholmia, Arrhoa nihil notatu dignum suppeditant. Bornholmia comprehendit tria oppida, *Nex*, *Rund* & *Snanecker* cum pluribus pagis. *Amack* adjacet Hafniæ, ipsique urbi ponte juncta est.

Jutia peninsula in quatuor diœceses dividitur: Arhusiensem, in qua *Arhuſium* portu insigne, emporium celebre: Alburgensem, ubi *Alburgum* sedes episcopalis: Viburgensem, cujus caput *Viburgum*, ibidem annuæ celebrantur nundinæ, & crebri Nobilium conventus: Ripensem, cujus caput *Ripa* portu atque commerciis claret.

Fert hoc regnum largissime frumenta atque vina; Equorum atque boum insignes greges alit, qui copiose exteris venduntur. Eminet quoque in re piscaria, halecum præcipua captura.

Reliquæ in Europa provinciæ ad hoc regnum pertinent:

1. Norwegia, quæ continet sex provincias s. præfecturas, quarum una, Bahusia dicta, Suecis paret, cujus caput *Bahuſia*, celebre fortalitium; dein *Malſtrand*, castellum, & piscatura halecum notum. Regi Daniæ subdita *Aggershuſia*, ab arce quadam, Gubernatoris hujus provinciæ quondam sede, sic dicta; Hodie Christiania, denuo extructa, olim Opslo vocata, sedes est Vice-regis. 2.) Bergershusia, in qua *Berga*, metropolis Norwegiæ antiquissima & præstantissima, emporiumque celeberrimum. 3.) Nidrosia, ubi *Nidroſia* s. Druntheim, sedes olim Regum, nunc Archiepiscopi, portu gaudet commerciis aptissimo.

Prope Nidrosiam vortex est, Belgis *Maelſtrom* dictus, ambitu quinque fere milliarium, qui cuncta appropinquantia absorbet, hæc tandem saxis in profundo latentibus illisa minute dilaniantur.

4.) Wardhusia ab arce antiqua sic dicta, de qua nihil memoratu dignum occurrit. 5.) Diœcesis Stavangriensis, in qua præter urbem *Stavangriam* nihil notandum.

Regio hujus regni montibus atque silvis referta, solum arenosum est & sterile; Incolis opes atque commercia è piscibus tostis & arboribus ad navium malos idoneis suppeditantur.

II. Nonnullæ insulæ ad Norwegiam relatæ, & quidem 1) Islandia, a primo inventore Schneelandia appellata, quia vertices montium altissimorum semper nive cooperiuntur. Præcipuæ ejus urbes sunt *Scalotum* & *Hola*, præter quas sex vel septem adhuc reperiuntur, sed perquam exiguæ. Sedes Gubernatoris dicitur *Balleſtad*, s. Bestode castellum. Regio potissimum montosa & sterilis, in planitie tamen prata sunt florida, hinc pecuaria præcipuum incolarum negotium; maximum autem ad illos redundat lucrum e piscatura, præcipue passerum marinorum. Mons *Hecla* hujus insulæ ignivomus creditur hoc clima a frigore septentrionali intensissimo aliquo modo defendere.

2.) Schettland s. insulæ Hitlandicæ intra Scotiam & Norwegiam sitæ, quarum magnus est numerus, maxima vero *Mainland* vocatur, cujus caput est *Scallovvay-bancks*.

Opes incolarum piscatura marina acquiruntur, siquidem piscium ibidem majorum atque minorum reperitur copia, ex quibus varia ad usum præparare solent. Pecora, præcipue oves, magnitudine exteras excedunt, quarum pellibus lucrum quærunt.

3.) Ferroe s. Farro, Lat. insulæ Ferroenenses, numero supra decem & quinque, ulterius versus septentrionem sitæ, quarum incolæ potissimum piscaturam quoque exercent,

4.) Quædam provinciæ atque insulæ, sc. Grœnlandia, Spitzberga atque Nova Zembla, quò præcipue Dani navigant, atque inde picem navalem & piscium ossa petere solent.

III. Non exigua pars Ducatus Slesvicensis, in quo *Flensburgum* caput, ædificiis atque portu conspicuum, *Haderslebia*, mediocre oppidum, nec non *Glucksburgum* & *Christiani Manntio*, duæ arces. Huc quoque pertinent insulæ, Alsena, Arroa, Amroma, Fora &c. Danis subjectæ.

IV. Dimidia ferme pars Ducatus Holſatiæ, de quo ſupra actum in deſcriptione Germaniæ.

V. Comitatus Oldenburgicus & Delmenhorſtenſis, de quibus ſuperius quoque mentio facta.

VI. De iis, quæ in Africa & Aſia Danorum imperio ſubſunt, inferius docebimus.

VI. Svecia.

Ampliſſimum quidem eſt regnum Sveciæ, ſed magnam partem incultum. Dividitur in ſex partes majores; Sveciam ſtricte ſic dictam; Gothiam, Nordlandiam, Finniam, Ingriam & Livoniam. Harum unaquæque iterum minores complectitur provincias.

1. *Svecia* ſtricte ſic dicta ſubdividitur in quinque partes minores, quarum prima ducatus *Vplandiæ*, cujus metropolis *Holmia* ſ. Stockholm, ſedes regum, extructa per ſex inſulas, duo habet ſuburbia, portum ad recipiendas maximas naves præſtantiſſimum. Magnitudo ejusdem inſignis, eſtque ex ipſo ſitu munita. *Vpſalia*, antiquitate atque Academia, A. 1235. fundata, celebris. Hic regum inauguratio fieri ſolet in templo cathedrali, ubi quoque ut plurimum ſepeliuntur. Prope hanc ſita eſt *Vpſalia vetus*, regia quondam ſedes, hodie nullius momenti. Secunda, ducatus *Sundermanniæ*, cujus præcipua urbs *Nicopia*, ejus incolæ optimam linguæ Sveciæ colunt dialectum. Tertia *Weſtermannia*, ubi *Aroſia* ſ. Weſteras, ferri negotio celebris, *Kæping*, *Arboga*, *Sala*, *Elsnappen* &c. præcipuæ urbes, quarum portus regias tutantur naves. Quarta, *Nericiæ* Comitatus, in quo *Orebrogia* mediocre oppidum. Quinta, *Daiecarlia*, ubi *Fahlun*, urbs ampla, & propter adjacentes æris fodinas celebris.

2. *Gothia* tres complectitur provincias, quarum unaquæque in tres minores ſubdividitur. Majores ſunt Gothia orientalis, occidentalis & meridionalis.

Gothiæ orientalis provinciæ ſunt 1. Oſtro-Gothia proprie ſic dicta. 2. Smalandia & 3. Oelandia atque Gothlandia, inſulæ. Oſtro-Gothiæ caput dicitur *Norköping*, mari adjacens, hinc ibidem florent commercia, præterea celebris hic datur ſalmonum captura. Smalandiæ urbs primaria vocatur *Calmaria*, munimentis atque caſtro firmata, & portu prædita. In Oelandia prævalent *Borckholmia* & *Oſtenbua*, quæ portum habent. Gothlandiæ urbs *Viſtia*, quæ inſigne quondam erat emporium.

Gothiæ occidentalis provinciæ ſunt: 1. Weſtro-Gothia, 2. Wermelandia & 3. Dalia. Weſtro-Gothiæ urbs præcipua *Gothenburgum* nominatur, ſinui Codano adjacens, emporium, & portum habet. In Wermelandia notentur *Carolſtadium* & *Philippoſtadium*. Dalia vero caput agnoſcit *Daleburgum*.

Gothiæ meridionalis provinciæ ſunt: 1. Hallandia. 2. Scania. 3. Bleckingia. In Hallandia prævalent *Helmoſtadium*, *Falckenburgum*, *Laholmia*, & *Varburgum*. Scaniæ caput eſt *Lunden* ſ. Lundis, ubi Academia A. 1668. a Svecis fundata. *Coronia* ſ. Landecron, Malmoe ſ. Malmogia, *Helſingoburgum* & *Yſtædt*.

Huc quoque pertinet Inſula *Ween* ſ. Huent lat. Huena, ob arcem, *Vraniburgum* dictam, obſervandis ſtellarum motibus a Tychone de Brahe deſtinatam, Aſtronomiæ ſtudioſis notiſſima. Bleckingiæ urbes potiores ſunt *Chriſtianopolis*, *Chriſtianoſtadium* & *Caroli portus*.

3. *Nortlandia*, quia verſus ſeptentrionem ſita, ſic dicta, & ingenti tractu abſolvitur, varias comprehendit provincias, quarum notiſſimæ ſunt: Angermannia, cujus caput *Hernoſandia*, quæ portum habet. *Bothnia*, in meridionalem, ſeptentrionalem & occidentalem diviſa. Hujus præcipua urbs *Torna* dicitur, ad quam A. 1694. iter faciebat Rex Sveciæ Carolus XI., ut ſolem inocciduum tempore ſolſtitii æſtivi ibidem obſervaret. Reliqua loca, v. g. *Kuni* & *Luna* parvi ſunt momenti. *Geſtricia*, in qua dantur fodinæ ferrariæ, præcipua hujus provinciæ urbs eſt *Gevalia*, ob vicinas ærarias fodinas celebris. Helſingia, in qua *Hudicksvvald*, *Geeda* & *Dilſbo* oppida. Lappia Svecica, alias quoque Lappia meridionalis dicta, & a quinque fluviis in quinque partes diviſa, a quibus etiam nomen habent. Notandum autem, Lappiam dividi in Svecicam, Moſcoviticam & Danicam.

4. *Finlandia* ſeptem conſtat provinciis: Finlandia in ſpecie, & Cajania, ad ſinum Bothnicum, Carelia & Nylandia prope ſinum Finnicum, Kexholmia, Savolaxia, & Ivaſtia in media regione. Caput totius Finniæ *Abo* ſ. Aboa dicitur, portu, ſede epiſcopali & Academia illuſtris. *Cajaneburgum* fortalitium, *Tavaſthia*, *Viburgum*, urbs munita & emporium celebre, *Kexholmia* & *Nyſlot* firma munimenta.

Maxima Careliæ pars, ut & Kexholmia, nec non Viburgum per pacem A. 1721. ſancitam, hactenus Moſcovitico parent imperio.

5. *Ingria*, cujus metropolis *Noteburgum*, natura & arte firmiſſimum. Tota provincia itidem Ruſſis conceſſa, a quibus urbs Noteburgum, *Oreſca* ſ. Schlüſſelburg vocatur. Noviter in hac fundarunt urbem, *Petroburgum* dictam, quam munimentis adornare, & ad commercia opportunam reddere indies conantur. Abhinc aliquot milliarium ſpatio in medio mari caſtrum exſtruxerunt, cui nomen *Cron-Schlos* datum.

6. *Livonia* in duas partes dividitur: Lithlandiam ſc. atque Eſthoniam; Lithlandiæ caput eſt *Riga*, ædificiis atque munimentis conſpicua, incolis plena, emporium nobiliſſimum. Gymnaſio regio eruditi ſemper præſunt Profeſſores. Præter hanc notanda ſunt fortalitia *Duneburg*, *Kockenhuſen* & *Dunamunda*. Eſthoniæ urbs primaria eſt *Revalia*, commerciis, ob portum inſignem jamdudum, floret. Porro *Narva* probe munita. Tota Livonia per pacem A. 1721. ſancitam pro certa æris ſumma Ruſſorum Imperatori tradita eſt.

Montoſa eſt regio, ſylvisque repleta, frumentorum, ſi Ingriam & Livoniam excipias, datur penuria, tantum tamen creſcit, quantum ad quotidianum incolarum victum neceſſarium. Opes regni ſunt pecuaria, abietes atque quercus, fodinæ ferri, plumbi, æris, argentique, nec non ſuffimenta atque mel.

Ad regnum Sueciæ quoque pertinent:

1. In Norwegia præfectura Bahuſia ab A. 1660.

2. In Germania 1) Pomeraniæ citerioris quædam pars cum Rugia inſula 2) Wiſmaria, ducatus Megalopolitani urbs, cum peninſula, *Poel* dicta, nec non præfectura Nien-Cloſter.

VII. Polonia.

Regnum Poloniæ ampliorибus hodie, quam olim, circumſcribitur terminis, ſiquidem huic nunc magnus ducatus Lithuaniæ aliæque provinciæ adnumerantur. Unde & in duas potiſſimum partes dividitur, ſcilicet in regnum Poloniæ, ſpecialiter ſic dictum, & magnum ducatum Lithuaniæ. Regnum Poloniæ ſeptem comprehendit provincias: Poloniam majorem, minorem, Maſoviam, Cujaviam, Podlachiam, Pruſſiam & Ruſſiam rubram. Dividitur quoque hoc regnum ſpecialius in Palatinatus, numero ſupra triginta, quorum quilibet iterum in partes ſubdividi ſolet.

1. Poloniæ majoris caput *Gneſna* dicitur, ſedes Archiepiſcopi & Primatis regni, qui tempore interregni Pro-Rex vocatur, comitia indicit, diemque ad novum eligendum regem præſcribit. *Poſnania*, urbs præclara, duplici muro & foſſa ſatis profunda circumdata, epiſcopali ſede atque Academia celebris. *Caliſſa* urbs nomen dedit Palatinatui Caliſſienſi. A. 1706. intra terminos hujus & prioris urbis commiſſum eſt prælium inter Svecos atque Polonos, ſed palmam reportarunt Poloni.

2. Poloniæ minoris metropolis totiusque regni decus eſt *Cracovia*, urbs permagna & in quatuor partes diviſa, quarum unaquæque ſuum habet Magiſtratum. Sedes quoque eſt Epiſcopi atque Academiæ. Olim ſemper hæc regio gaudebat ſolio, hodierni vero reges aliam pro lubitu ſibi eligunt, horum tamen inauguratio atque ſepultura nihilominus in hac ſolet celebrari, ita ut hæc conſuetudo ſupra quatuor hactenus ſecula non interrupta ſerie duraverit. Hanc excipit *Landscron*, fortalitium. *Racovia*, ſedes quondam Socinianorum, hinc originem duxit Catechiſmus Racovienſis. *Sandomiria*, loco elatiori ſita atque caſtello firmata. *Lublinum*, urbs copioſa, in qua tres per annum ſolennes celebrantur nundinæ, quas exteræ nationes quoque frequentant.

3. Ducatus Maſoviæ caput eſt *Varſovia*, ſedes hactenus regia, regnique nunc præcipua, utpote in qua habita ſunt comitia & regis electio, ampla eſt, ædificiisque ſplendida. Palatium regium a Sigismundo III. extructum, armamentarium, hortusque regius viſu ſunt digniſſima, florent ibidem commercia. *Plocum*, præclara urbs, caſtro munita, ſedes Epiſcopi, Gneſnenſi Archiepiſcopo ſubditi.

4. Cujaviæ metropolis *Vladislavia* dicitur, quo nomine interdum tota provincia inſignitur, arcem habet munitam, eſtque ſedes Epiſcopi Cujavienſis. Porro *Breſtia*, locus quidem exiguus, ſed munitus, & ob adjacentes paludes firmior. *Inovvlocz.* & *Krasvvick* parvi ſunt momenti.

5. In Podlachia prævalet *Bielca*, urbs ampla, ſed ligneis tantum ædificiis exſtructa. *Auguſtovv* & *Tycozin* fortalitia ſunt. *Waſilkovv*, *Sures*, *Kniſin*, *Bransko*, *Narovv* &c. exigua ſunt oppida.

Pruſſia dividitur in ſuperiorem & inferiorem, ſive in Pruſſiam Polonicam & Brandeburgicam.

6. Pruſſiæ Polonicæ caput eſt *Dantiſcum*, nobiliſſimum emporium, ædificiis atque munimentis inſigne. Frumentum potiſſimum hujus urbis negotium eſt, quod naves per Viſtulam fluvium, in ſinum Dantiſcanum, uno milliari diſtantem, vehunt, ubi portus celeberrimus, quem caſtellum, *Weixelmunda* dictum, defendit. In vicinia hujus urbis ſitum eſt monaſterium *Oliva*, ob pacem Polonorum cum Svecis ſancitam celebris. Porro *Elbinga*, perquam munita urbs, commerciis floret, potiſſimum autem frumentis negotium gerit. Urbs A. 1710. Ruſſorum ſuberat poteſtati, poſtea Polonis reddita. *Thorunium*, emporium celebre eſt, colloquio trium religionum Doctorum & nativitate celeberrimi Aſtronomi Copernici notiſſimum, in expugnatione Svecica A. 1703. multum perpeſſum. *Mariæburgum*, urbs ampla, caſtello munita, ſedes quondam præſtantiſſima Equitum Teutonicorum. *Frauenburgum*, *Braunsberg*, *Bromberg* &c. oppida ſunt non ſpernenda. *Heilsberga* & *Culma* ſedes ſunt epiſcopales.

7. Ruſſiæ rubræ metropolis dicitur *Lemberg* ſ. *Leopolis*, ampla, copioſa, & commerciis celeberrima. Variarum nationum mercatores ibi habitant. Sedes quoque eſt Archiepiſcopi & Epiſcopi Græci. Superioribus annis magna hujus urbis pars incendio conſumta eſt.

Hanc excipit *Premiſlia*, urbs ampla, munita, ſedes Epiſcopi. *Chelmum*, Epiſcopi Græci ſedes. *Lucko* ſ. Luceria, cujus Epiſcopus ſubeſt Gneſnenſi. *Zamoiſcium*, fortalitium, quod A. 1651. Coſacis optime reſtitit. *Belzium*, ligno extructum oppidum.

Referuntur quoque ad Ruſſiam rubram *Podolia* & *Vcrania*. Podolia dividitur in ſuperiorem, cujus caput eſt *Camenecum*, ſedes Epiſcopi & munimentum fere inexpugnabile: & inferiorem, cujus metropolis *Braclavia*. Ucrania in polonicam, moſcoviticam & Coſacorum dividitur. Ad Polonos ſpectant: *Bialaquerca*, *Nevvkonipol* &c. &c. Moſcovitis parent *Kiovia*, munimentis cincta, ſedes Archiepiſcopi Ruſſici, aliaque ultra Boryſthenem ſita. Coſacorum loca ſunt: *Czyrcaſſi*, *Kudack*, *Techtimerovv*, *Baturin* oppidum valde dirutum, *Pultavva* ob prælium inter Svecos & Moſcovitas ab A. 1709. perquam nota.

Lithuania magni ducatus titulo decorata, tanquam altera pars regni Polonici, dividitur in Lithuaniam proprie ſic dictam, & Ruſſiam albam, quibus aliqui tertiam adhuc jungunt partem, ſcilicet Samogitiam.

Totius Lithuaniæ metropolis dicitur *Vilna*, urbs ampla, nec non ob commercia variis gentibus repleta, unde & ſingulis ſeptimanis ibidem tres celebrantur feriæ; dies nempe Veneris Turcis, dies Sabbathi Judæis, & dies Dominica Chriſtianis ſacra eſt. Sedem habet epiſcopalem & Academiam. Porro *Breſſicia*, in qua celeberrima totius Europæ Judæorum Synagoga reperitur, quam longe diſſiti ſtudiorum cauſa frequentare ſolent, ut docti evadant Rabbini. *Grodna*, templis atque monaſteriis referta, & regni comitiis clara. *Troca*, caſtro munita.

Ruſſiæ Lithuanicæ ſ. albæ præcipua urbs *Novograda* vocatur, ampla quidem, ſed ædificiis parum ſplendida, ibidem tamen conventus provinciales ſæpiſſime celebrantur. Porro *Polota* munimentis & caſtris duobus firmata. *Miſciavia*, Moſcoviæ finibus adjacet, urbs munita. *Mohilovia*, emporium, A. 1708. a Ruſſis perquam devaſtatum. *Minſcium* duobus caſtris firmatum. *Braſlavia*, urbs ſpatioſa quidem, ædibus tamen exiguis extructa.

In Samogitia prævalent *Mednicia* ſedes epiſcopalis, *Roſiem*, *Kovvna*, *Birze* &c.

Regio regni Polonici feraciſſima eſt. Plumbum, æs, ferrum atque chalybem copioſe producit. Ligni, ferarum, ceræ atque mellis nulla datur penuria. Lana atque ſal polonicum in pretio eſt apud exteros. Lithuania quidem frumentis, armentis, melle atque cera abundat, ob cœli tamen intemperiem, ſilvarumque in immenſum ſpatium diffuſarum copiam pauciores, quam Polonia, alit incolas.

VIII. Pruſſia.

Pruſſia electoralis ſive Brandenburgica, olim ducatus nomine inſignita, initio autem hujus ſeculi ad regni dignitatem evecta, varias complectitur provincias, quæ ſunt: Sambia, Natangia, Bartonia, Galindia, Pomeſania & Hockerlandia.

Totius Pruſſiæ metropolis eſt Königsberg ſ. *Regius Mons*, urbs ampliſſima, & in quatuor partes diviſa, egregia atque munita, quam, ut & portum inſignem, defendit arx perquam munita. Academia atque commerciis floret, præterea nativitate atque inauguratione primi ſui Regis ſuperbit. Notandæ quoque ſunt aliæ urbes, *Velavia*, ob transactionem Velavienſem inter Regem Poloniæ atque Electorem Brandenburgicum celebris: *Memelia* ad lacum Curlandiæ ſita, & *Pillavia* aliquot milliaribus Regiomonte diſtans, ambæ ſunt munitæ & portubus inſignes. *Fiſchhuſia*, urbs cum arce, in cujus confiniis magna copia reperitur ſuccini. In *Gilgenburg*, *Marienvverder*, *Riefenburg*, *Bartenſtein*, *Heiligenbeil*, *Raſtenburg* &c. nihil notatu dignum.

Regio hæc terræ ubertate ſuperat alias regiones plures, variorum pecorum copia excellit, præcipue vero tantæ magnitudinis uros alit, ut nullibi ferme majores inveniantur. Nec deſunt urſi, alces, feri boves atque equi, ſuccino inprimis redundat.

Regis Boruſſiæ ſceptro ſubſunt & aliæ provinciæ, v. g. Marchia Brandenburgica, Ducatus Pomeraniæ ulterioris, Magdeburgenſis & Cliviæ; Principatus Halberſtadienſis, Mindenſis, Croſnenſis & Mœrſenſis, Principatus Neocomenſis in Helvetia; Comitatus Marchiæ, Ravensbergicus, Lingenſis & Tecklenburgicus. Ut & nonnulla in Luſatia inferiore, in Geldria, & in Batavia ex hereditate Arauſionenſi. De quibus actum ſuperius.

III. De Rebus publicis

I. Hollandia.

Hollandia ſeptem complectitur provincias, fœdere anno 1597. Ultrajecti ſibi invicem unitas, unde & Belgium fœderatum dicitur. Præcipua harum eſt

1. *Hollandia* in ſpecie, olim comitatus titulo nota, quæ in Hollandiam ſeptentrionalem & auſtralem dividitur.

Hollandiæ ſeptentrionalis, imo totius Belgii fœderati, caput eſt *Amſtelodamum*, urbs ſpatioſa, magnifice exſtructa & copioſa, ob commercia & divitias paucis urbibus cedit. Inter ædificia caput exerunt armamentaria, curia, domus Admiralitatis collegio deſtinata, nec non illa Societatis Indicæ orientalis, Burſa &c. Plurimæ circa urbem dantur cataractæ, quarum ope tempore hoſtilis inſultus tota regio inundari poteſt. *Harlemum*, urbs ampla, ædibus egregiis atque opificum officinis præclara. Incolæ ſibi perſuadent, Laurentium Coſterum A. 1440. ibidem artem typographicam primum inveniſſe. *Horna*, urbs elegans & portu inſignis eſt, ubi moneta cuditur. *Enchuſia*, ſplendida & ſpatioſa, portu & piſcium negotio nobilis. *Alcmaria*, ex antiquiſſimis & pulcherrimis urbibus hujus provinciæ, A. 1522. Batavi eam ſui juris fecerunt. *Narda*, *Monochodamum*, *Muda*, *Medenblickum* &c. parvi ſunt momenti. His adde duas inſulas *Texellam* & *Flerolandiam*, excipiendæ Batavorum claſſi deſtinatas.

Hollandiæ meridionalis metropolis eſt *Roterodamum*, magnitudine, ædificiis, opibus atque commerciis Amſtelodamo fere accedit. Curia atque Burſa viſu ſunt digna. Patria hoc fuit Eraſmi, cujus imago ibidem ponti impoſita cernitur. Hanc excipit *Lugdunum Batavorum*, urbs elegans atque ſpatioſa, opificum officinis, Academia, Bibliotheca, horto medico & theatro anatomico excellens. *Delphi*, præclara urbs, in qua curia atque armamentarium luſtrari merentur. Effinguntur hic vaſa fictilia in modum illorum, quæ *Porcellain* vocantur. *Dordracum*, emporium opulentum, gaudet jure ſtapulæ, præcipue quoad vina Rhenana. Synodus Dordracena A. 1618. adverſus Arminianos habita in hiſtoriis celebratur. *Haga Comitum*, nullis cincta mœnibus, nobiliſſimus totius Europæ vicus merito nuncupari poteſt, multis magnitudine, pulchritudine atque divitiis præferenda urbibus. Cæterum Conſilii confœderatarum pro-

vinciarum ſedes eſt. In vicinia plures reperiuntur arces delectationi inſervientes, v. g. *Honslardyck*, ad regem Boruſſiæ ſpectat, *Ryswyck*, pace cum Gallis A. 1697. ſancita celebris. *Arx in ſylva*, pretioſiſſimis picturis & conclavi eximiæ magnitudinis ornata. *Clingendael*, hortum habet amœniſſimum, cujus poſſeſſor Dominus de S. Anneland. *Arx Portlandica*. Urbs *Gouda* ob cataractas, inundationi deſervientes, & propter templum, pictis feneſtris conſpicuum, notanda. Minora oppida ſunt *Værda*, *Vorconium*, *Viana*, *Gorichemium*, *Heudena*, *Delphorum portus*, *Aquæ veteres*, *Crepicordium*, *Mons S. Gertrudis* &c. &c. ubi anno 1710. pacis conſilia inter Gallos atque Batavos, ſed fruſtra ſunt agitata. Huc pertinent inſulæ: v. g. *Vorna*, in qua *Briela*, urbs munita ſatis, copioſa & portu celebris: Porro inſulæ *Godera*, *Beyerlandia*, *Transflacheana* &c.

2. *Zeelandia*, quondam comitatus, per quindecim vel ſedecim extenditur inſulas, quarum præcipuæ ſunt Walchria, Duvelandia, Bevelandia, Scaldia, Tola. In Walchria totius provinciæ caput eſt *Middelburgum*, urbs ampla & ſplendida, commerciis clara, præcipue propter vina, nam in quævis vina, quæ per mare advehuntur, illa jus ſtapulæ exercet. *Fliſſinga*, prope Middelburgum urbs ſatis munita & portu gaudens præſtantiſſimo. Tandem quoque notentur *Goëſa*, urbs elegans atque ſpatioſa, *Tola*, urbs munita & *Cirizæa*, antiquiſſima hujus provinciæ.

3. *Vltrajectum* olim Epiſcopatus nomine gaudebat, hinc & hodie ſæpius Epiſcopatus appellatur. Ejus caput eſt *Vltrajectum*, urbs ampla, ſplendida & copioſa. Celebratur ob Academiam, eſtque patria Papæ Adriani VI., cujus ædes adhuc ibidem monſtrantur. Anno 1579. ſanciebatur fœdus Ultrajectenſe, per quod jacta ſunt fundamenta totius confœderati Belgii. Non multis abhinc annis hic quoque pacis conſilia habita ſunt. *Amersfordia*, ſchola & nundinis illuſtris, *Montfortium*, *Rhena* &c. de quibus nihil notandum occurrit.

4. *Pars Ducatus Geldriæ* cum comitatu Zutphanienſi, Geldria inferior dicta. De ſuperiore Geldria actum jam eſt in Germania. Præcipuæ in hac urbes ſunt *Noviomagum*, amplitudine & incolarum frequentia inſigne, nec non ob pacem A. 1679. inter Cæſarem & Galliæ Regem firmatam, celebre. *Schenkii arx*, fortalitium a Batavorum duce bellico, Schenck dicto, extructum. Quondam hoc referebatur ad ducatum Cliviæ, ſed ab A. 1681. clavis eſt Hollandiæ. *Arenacum*, urbs ampla & populis referta ſatis, ſedes erat quondam ducum Geldriæ. *Harderwicum*, urbs munita & Academia florens. Comitatus Zutphanienſis caput eſt *Zutphania*, cujus munimenta & propugnacula A. 1674. ſolo ſunt æquata. Reliqua loca nullius ſunt momenti.

5. *Iranſiſalania*, quæ in tres partes dividitur, ſuntque: Drentia, Sallandia & Tuventia. Præcipuæ urbes ſunt: *Deventria*, ædificiis & Gymnaſio illuſtri ſplendida. *Zwolla*, commerciis floret, cujus munimina A. 1674. admodum diruta ſunt. *Campena*, urbs ſplendida A. 1688. a Batavis munimentis firmata. *Cœvordia*, urbs arte atque ſitu, ſiquidem multis paludibus cincta, valde munita, clavis Friſiæ eſt, belli tempore multum perpeſſa. *Oldenſalia*, *Hiſſeletum*, *Stenovicum*, *Blockzilia*, *Vollenhovia* &c. exigua ſunt oppida.

6. *Græninga* cum Ommelandia dominii titulo gaudet. Caput hujus provinciæ eſt *Græninga*, Academia, A. 1614. fundata, celebris, urbs munimentis ſatis firmata, & inſignis. A. 1672. hæc a Duce bellico Monaſterienſi, Rabenhauptio, fruſtra obſidione cingebatur. *Vinſchota*, fortalitium in vicinia ſinus Dollartii ſitum, *Damum*, Ommelandiæ oppidum. Præter hæc nihil ferme notandum.

7. *Friſia* hæc inter maximas Belgii fœderati provincias refertur, nam undecim urbes & quingentos fere comprehendit pagos, dividitur in tres partes: Oſtergoviam, Weſtergoviam & Sevenwoldam. Præcipuæ urbes ſunt: *Leovvardia*, metropolis, egregie munita urbs, ſedes eſt Gubernatoris & tribunalis provincialis. *Franeckera*, urbs ſitu amœna, Academia, theatro anatomico, horto medico & Bibliotheca celebris. *Harlinga*, urbs magnitudine, opibus, munimentis, commerciis & portu conſpicua ſatis.

Inſulæ huic provinciæ adjacent, & ſunt *Monicoga*, *Amelandia* & *Schellinga*, quæ præcipuæ.

Regio harum provinciarum nec pomorum, nec frumentorum ſatis ferax, vinum plane nullum fert, omnia tamen copioſe advehuntur, vaccas atque boves ob paſcua lætiſſima alit præſtantiſſimos, equos, in Friſia præcipue, gignit generoſiſſimos: Commerciorum frequentia incolarum numerum, præſertim in Hollandia in ſpecie ſic dicta, quotidie reddit majorem. Laudantur in his quoque optimi generis panni atque lintea, quibus adde Architecturæ navalis ſtudium.

Præter has confœderatas provincias in exteris regionibus ad Batavos ſpectant:

1. Magna pars Belgii Hiſpanici, in eoque,

1. Urbes quædam Flandriæ, quarum præcipua eſt *Sluſa*, fortalitium, hæc inſignem habet portum, A. 1604. Batavis tradita eſt. *Huſtum*, urbs munita & A. 1645. Hiſpanis erepta. *Ardenburgum*, urbs anti qua & firma, in qua, anno 1672. a Gallis obſeſſa, mulieres quoque hoſtibus fortiter reſtiterunt. *Axella* munimentis cincta. *Bierſletum* fortalitium inſulæ ejusdem nominis. *Iſendicum*, munitum, quod Batavi jam diu poſſident. Huc pertinet caſtrum fere inexpugnabile *Sas van Gent*, ſive Agger Gandavienſis dictum, A. 1644. in Belgarum poteſtatem redactum.

2. Quædam pars ducatus Limburgici, in qua præcipua urbs *Maſtricht* ſ. Trajectum ad Moſam, inſigne fortalitium, cui lapideo ponte jungitur urbs *Wick* ſ. Vicus, itidem munita. *Dalemum*, A. 1672. a Gallis captum & munimentis orbatum.

3. Magna pars Brabantiæ, in qua *Bergen op Zoom*, ſ. Bergæ ad Zomam, fortalitium, titulo comitatus gaudet, nam adhuc ad Comites Alverniæ ſpectat. *Breda*, celebre munimentum, ubi Anno 1667. pax inter Anglos & Batavos ſancita. Poſt mortem Wilhelmi III. Regis Angliæ hoc hereditatis Arauſionenſis titulo ad Regem Pruſſiæ devolvebatur. *Sylva ducis*, ſpatioſa & copioſa urbs, intus caſtello, extus vero tribus munimentis campeſtribus firmata, hinc inter præſtantiſſima Batavorum fortalitia merito refertur.

II. Helvetia.

Helvetia olim ad Germaniam referebatur, at vero aliquot ab hinc ſeculis hæc iterum ab illa ſeparata, in liberam Rempublicam abiit, hæc in tredecim Cantones ſ. Pagos dividitur, quibus adduntur adhuc aliæ præfecturæ vel Helvetiorum imperio ſubjectæ, vel confœderatæ. Hinc triplex naſcitur diviſio, ſc. in cantones, ſubditos & confœderatos.

Cantones ſunt: 1. *Zürch*, ſ. Pagus Tigurinus, inter confœderatos primum locum tenet, magnitudine, opulentia atque incolarum copia excellit. Caput ejus eſt *Tigurum* ſ. Zürch, urbs magna, ædificiis ſplendida & ſecundum regulas hodiernæ Architecturæ ſatis munita, commerciis floret, antiquis temporibus jam nota, nam Carolum M. templum ibidem exſtruxiſſe, cujus effigiem in eo adhuc aſſervari, fert fama. De reliquis nihil occurrit notatu dignum.

2. *Pagus Bernenſis*, maximus omnium, dividitur in duas partes, ſc. in germanicam & gallicam. Caput partis Germanicæ & totius Cantonis vocatur *Berna*, urbs elegans, ampla & probe munita, in qua præ reliquis templum primarium, Bibliotheca & armamentarium luſtrari merentur. Huc pertinent Argoja ſuperior atque inferior, Sybenthalia ſuperior atque inferior, aliæque præfecturæ. Partis Gallicæ, le Paix de Vaux, ſive Vaudum alias dictæ, urbs primaria eſt *Lauſanna*, Lauſonium, urbs egregia & olim ſedes Epiſcopi, antequam Reformatorum religioni ſeſe addiceret, qui jam Friburgi habitat. A. 1536. fundata hic eſt Academia. Reliquæ præfecturæ atque urbes ſunt: *Aventicum* ſ. Wifflisburg, *Morges*, *Moudon*, *Nevvis*, *Tverdum* &c.

3. *Pagus Lucernenſis*, cujus caput *Lucerna* ad lacum Lucernenſem ſita, commercia cum Italis atque Germanis tractat, ſedes eſt Nuntii Apoſtolici. Notus quoque in hoc Cantone *lacus Pilati*, de quo multa fabulantur incolæ.

4. *Pagus Vrienſis*, montibus (inter quos notiſſimus mons *S. Gotthardi*,) & diverſis lacubus undique ſeptus atque munitus; præcipua hujus urbs *Altorfium* eſt, vico, quia muris caret, ſimilis. Ædificia pleraque picturis ſunt ornata, extra urbem egregii dantur horti & ſuburbana. Reliqua oppida ſunt *Vrſera*, *Geſtina*, *Syllena*, *Attinghuſia* &c.

5. *Pagus Svitienſis*, a quo tota regio nomen Schweitzerland adepta, nam hic primus erat pagus, qui ad vindicandam libertatem fœdus iniit. Caput ejus eſt *Suitia*, vico quidem non abſimilis, ob quædam tamen palatia, & monaſteria diverſa multis urbibus præferenda.

6. *Pagus*

6. *Pagus Untervvaldenſis* inter minimos refertur, per hujus medium tranſit ſylva, unde & nomen obtinuit. Caput ejus eſt *Stantia*, nullis mœnibus cincta.

7. *Pagus Tugienſis* ſ. *Zug*, minimus omnium. Primaria ejus urbs eſt *Tugium* ſ. Zug, ad lacum tugienſem.

8. *Pagus Glaronenſis*, ex primis, qui pro libertate pugnarunt; Caput ejus eſt *Glarona*, porrò *Nophel*, *Vrnen*, *Quartvveſen* &c.

9. *Pagus Baſileenſis*, hic prævalet *Baſilea*, urbs commerciis atque Academiâ ſplendida, huic decrementa urbis Auguſtæ Rauracorum maxima dederunt incrementa. Huc pertinent etiam *Lichſtall* ſive Laucoſtabulum & Wallenburgum, oppida.

10. *Pagus Friburgenſis*, cujus caput *Friburgum*, tam naturâ quam arte firmatum, ibidem curia aliaque ædificia notatu digna ſunt.

11. *Pagus Solodurenſis*, cujus metropolis *Solodurum*, ſedes Legati gallici, antiquiſſima eſt, prout ex variis inſcriptionibus liquet, jam hæc ſecundum recentiorum Architectorum militarium methodum munita eſt.

12. *Pagus Scaphuſianus*, minimus ferè eſt, in hoc urbs *Scaphuſia* caſtello munita prævalet. Aliquot abhinc milliaribus diſtat *cataracta* celebris, ubi ex alto per petras & ſcopulos in profundum præceps agitur Rhenus.

13. *Pagus Abbatis cellenſis*, ultimus erat, qui fœderi Helvetico acceſſit. *Abbatis cella* primaria ejus urbs eſt, absque muris quidem, ampla tamen eſt, & bene extructa. Dividitur hic Pagus in duodecim Conventus, ab Helvetiis *Roden* dictos.

Regiones Helvetiorum imperio ſubjectæ ſunt: Comitatus Badenſis, præfecturæ Bremgarten & Mellingen, Windegg, Rheinthal, Turgow, Murten, Granſen, Orben, Gaſter, Sargans, Schwarzenburg, Arſax; ut & præfecturæ Italicæ ſive Tranſalpinæ quatuor: Lugano, Locarno, Mendriſio & Madio ſ. Velmagia.

Comitatus Badenſis caput eſt *Bada*, caſtello firmata, ubi Comitia Helvetica celebrantur, ibidem & pax cum Cæſare & Galliæ Rege ſancita. Porrò Zurzach ſ. Forum Tiberii, urbs, ob nundinas ſolennes, quas è Helvetiâ, Germaniâ atque Galliâ mercatores copioſè frequentant, notiſſima. In reliquis præfecturis nihil notatu dignum occurrit.

Dantur quoque præfecturæ quædam, non omnium, ſed vel unius, vel plerorumque Cantonum imperio ſubjectæ, v. g. *Arovium*, quod Pago Bernenſi tantummodo ſubjectum, ubi Cantones Reformatæ religioni addicti, interdum ſuos inſtituunt conventus, hi verò à Romano-Catholicis Lucernæ habentur. *Vitodurum*, oppidum non ſpernendum, Pago Tigurino ſubditum, ut & alia.

Confœderati ſive Socii Helvetiorum ſunt: Respublica Griſonum, Valleſia, Respublica Genevenſis, Fanum S. Galli, Mulhuſia, Principatus Neocomenſis ſive Neufchaſtel & Valangin, urbs & territorium Biel ſ. Bienna.

Quod Griſones attinet, ſciendum, illorum Rempublicam, poſt ſeparationem à Germaniâ, tam arcto fœdere junctam fuiſſe cum Helvetiis, ut hæc jam pro parte Helvetiæ habeatur. Dividitur in triplex fœdus, quorum primum dicitur canum ſ. der graue Bund. Secundum fœdus domus Dei, ſ. das Gottes-Haus. Et tertium fœdus decem Judiciorum, ſ. der zehen Gerichte appellatur. Totius Rhætiæ caput eſt *Curia*, ſplendida & ob commercia urbs copioſa, in quâ celebratur interdum omnium trium fœderum conventus ſolennis, & ibidem fœderis ſervatur archivum. Sedes quoque eſt epiſcopalis, prout ſuperius in Germaniâ dictum. Præcipuum primi fœderis oppidum eſt *Ilantium*, tertii vero fœderis *Majævilla*.

Præterea jure belli acquiſiverunt Helvetii tres provincias in finibus Italiæ ſitas, quæ dicuntur Vallis Telina, vino, Veltliner-Wein dicto, celebris, Comitatus Clavenna, & Comitatus Bormienſis. Vallis Telinæ caput eſt *Sondrio*, ſedes Gubernatoris. Porrò *Morbonium*. In Comitatu Clavenna urbs primaria idem habet nomen, eſtque tranſitus in Italiam, arce munitus validiſſima. Hujus regionis incolæ utuntur linguâ Italicâ. Non procul in de diſtabat oppidum *Plurs* ſ. Plurium dictum, quod an. 1617. montis vicini ruinâ penitus opprimebatur, in cujus loco deprehenditur lacus. In Comitatu Bormienſi notatur *Bormium*.

2. *Valleſia* respublica eſt, Anno 1533. Helvetiis fœdere juncta. Ejus caput *Sedunum* ſ. *Sitten*, ſedes epiſcopalis. Porro *Martiniacum* & *Fanum S. Mauritii*.

3. *Geneva*, quondam libera Imperii civitas, fœdus iniit anno 1536. urbs magna, ædificiis atque munimentis ſplendida, Academia illuſtri, armamentario, commerciis & variis opificum officinis celebris, multi ibidem reperiuntur horologiorum fabricatores.

4. *Fanum S. Galli*, olim libera Respublica, cum Helvetiis unita eſt an. 1454. Urbs non adeo magna, bene tamen extructa & incolis plena, ubi præcipue linteorum negotium floret. Abbatiam habet principali dignitate gaudentem, cui tamen nullum jus in cives competit; Abbas ſuperioribus annis ob comitatum Toggenburgenſem breve, ſed cruentum cum Helvetiis gerebat bellum, quod ipſi erat perniciosiſſimum.

5. *Mulhuſium*, quondam libera quoque Imperii civitas, tribus milliaribus diſtans à Baſileâ, junctum fœdere ab anno 1532.

6. *Neuf-Chatel & Valangin* acceſſerunt fœderi A. 1406. quò cavebatur, ut harum provinciarum Comites in rebus inter ſe atque ſubditos controverſis arbitrum agnoſcerent magiſtratum Bernenſem. Spectabat olim ad familiam Galliæ de Longa Villa, hac vero extincta, ſucceſſit Rex Boruſſiæ, qui eas provincias abſoluto jure jam poſſidet. Primaria urbs eſt *Neuf-Chatel* ſ. *Neocomum*, ad lacum neocomenſem ſitum & valida arce munitum.

7. *Tractus Biennæ*, ut & ipſa urbs *Bienna* ad lacum Biennenſem ſita, fœdus iniit anno 1547. antea parebat Epiſcopo Baſileenſi.

Helvetia quidem montibus & lacubus repleta, nihilominus frugum, vini atque olei ſatis ferax, potiſſimum armentis & piſcibus, ob multitudinem lacuum atque fluminum, abundat, è quibus maximum capit lucrum. *Valeſia* crocum, nec non varii optimique generis poma profert. Rhætia verò, qua parte Italiam reſpicit, vinum procreat non ignobile.

III. Venetiæ.

Illuſtris Venetorum Respublica in tres partes commodè dividitur, ſc. 1.) in Terram firmam, quæ circa hanc ad mare Adriaticum ſita eſt. 2.) In Dalmatiam, quatenus nempe quædam inſulæ atque regiones ipſius dominio ſubſunt. 3.) In Levante ſ. Orientem, in quo provinciæ atque inſulæ in Græciâ ad ipſam pertinentes conſiderantur.

Terra firma quinque complectitur provincias: 1.) Ducatum Venetum. 2.) Longobardiam Venetam. 3.) Marchiam Tarviſinam. 4.) Forum Julium. 5.) Iſtriam. Quælibet harum iterum in diverſos tractus extenditur.

Ducatus Venetus comprehendit *Chiuzza*, *Meſtra*, *Marghera* &c. Hujus Ducatus & totius Reipublicæ metropolis ſunt *Venetiæ*, urbs magnitudine, opibus & magnificentiâ ſplendidiſſima, unò & dimidiò milliari Germanico à terrâ firmâ ſeptuaginta inſulis ſuperſtructa. Dividitur hæc in ſex partes, ejusque ambitus aliquot milliaria germanica conficit. Inter præcipua ædificia eminent templum D. Marci & palatium D. Marci, quod ſedes Ducis, nec non illud, quod Arſenale vocant, pulcherrimum certè atque maximum in univerſa Europa. Notatu quoque dignus eſt pons, *Rialto* dictus, quem Canali ſatis lato impoſitum unicus tantùm arcus ſuſtinet. Adeſt portus præſtantiſſimus, & innumera hìc hominum è variis terræ partibus multitudo negotiatur. Sedes inſimul duorum Patriarcharum, Veneti nempe atque Aquilejenſis, audit. Huic tanquam ſuburbium in quâdam inſulâ adjacet *Muranum*, quod optima ſuppeditat vitra & ſpecula.

Longobardia Veneta ſeptem ditionibus conſtat, quæ ſunt: 1.) Ager Patavinus, cujus caput *Patavium* ſ. Padua, urbs antiquitate, Academiâ, horto medico & Bibliothecâ celebris. Inter reliqua ædificia eminent templum cathedrale & palatium Juſtitiæ. Porro *Montignano*, *Eſtre* ſ. *Ateſte*, *Moncelice*, *S. Pietro*, *Sacco*, *Campo* &c. *Albano*, eximius vicus propter thermas notus.

2. *Il Poleſine de Rovigo*, ſ. Peninſula Rhodigiana, cujus caput *Rhodigium*, ſedes Epiſcopi Adriæ. Reliqua oppida ſunt *Adria*, *S. Ballino*, *Lendenara* &c.

3. *Ager Veronenſis*, hujus primaria Urbs eſt *Verona*, antiqua & ſpatioſa, ſedes quondam erat Regum Italiæ, atque Imperatorum Germanorum, cum Italiam ingrederentur, unde & cognomine *Digna* inſignita. Palatia Gubernatoris at-

que Episcopi, ut & curia visu sunt digna. Præ reliquis notandum est *Amphitheatrum Romanum*, quod ex iis, quæ supersunt, unicum fere est, quod non admodum ætas corrupit. Huc pertinent fortalitia *Leonicum*, *Piscaria*, *Veruca* & *Lacus Benacus* s. der Garder-See.

4. *Ager Vicentinus*, cujus caput *Vicentia*, sedes episcopalis, splendidis palatiis & templo cathedrali pulcherrimo exornata. Porro *Marostica*, *Orgnana*, *Lonigo*, *Alzignano*, *Schito*, *Tiene*, & *Valdagno*.

5. *Ager Brixanus*, ubi *Brixia* eminet, munimentis & castro firmata, sedes Episcopi armorumque fabrica insignis. Reliqua oppida sunt *Ise*, *Defenzano*, *Chiari*, *Salo* &c.

6. *Ager Bergamensis*, in quo notetur *Bergomum* munimentis & commerciis præstans, & *Lovero*, *Seriato* &c.

7. *Ager Cremensis*, fortalitium in confiniis Mediolanum respicientibus, *Crema* dictum, præcipua urbs in eo, estque sedes Episcopi.

In *Marchia Tarvisina* continetur ager Bellunensis & urbs *Belluno*; ager Feltrinus, in quo *Feltrium* oppidum; & ager Tarvisinus in specie, in quo *Tarvisium* prævalet.

Ducatus Fori Julii ampliores olim habebat terminos, complectitur tamen adhuc urbes quasdam satis conspicuas, e quibus *Vtinum*, præcipua sedes Gubernatoris atque Patriarchæ, qui antea Aquilejæ degebat. *Cividat di Friuli*, s. Forum Julii, ab hac urbe ipse Ducatus nomen ducit, sede clara episcopali. *Palma*, fortalitium regulare, novem propugnaculis constans, quod validissimum in toto orbe, Veneti credunt. *Aquileja*, urbs antiqua & quondam celeberrima, altera Roma dicta, hodie non amplius tanta est, fuit sedes Patriarchæ, nunc juris est Austriaci. *Marano*, *Venzona*, *Tolmezzo*, *Cadore* &c. parvi sunt momenti.

Istriæ pars septentrionalis Austriæ subest, reliqua Venetis paret, ad quos spectant urbes: *Justinopolis* s. Capo d'Istria, episcopali sede nota. *Pola*, cujus antiquitatem varia produnt monumenta, portu ad negotia commodo, nam mari Adriatico adjacet, Episcopatu & castello gaudet perquam valido. *Civitas nova* & *Parentium* aëre fruuntur minus salubri, hinc parvus incolarum numerus. Austriam venerantur *Tergeste* s. Trieste & *Segna*, ambæ urbes habent Episcopos atque portus. Ab his non adeo procul distat arx *Prosecho* s. Pucinum, vino generoso, quod Reinfall dicitur, nota.

Præter modo enumeratas provincias Veneti insuper alias & superioribus seculis Turcis ereptas possident regiones.

1. *Partem Dalmatiæ*, in qua sunt urbes: *Zara*, quæ caput totius Dalmatiæ, & sedes archiepiscopalis est. *Spalatrum* urbs copiosa & satis munita, portum habet atque Archiepiscopum. *Cattara*, fortalitium, quod Turcis hactenus semper inexpugnabile fuit. *Sebenicum*, episcopatu & castro ornatum. *Buda*, non magna quidem, sed fortissimum est contra Turcas propugnaculum. *Trawv* s. Traguria, urbs munita & episcopatu prædita. *Glimma*, fortalitium A. 1688. Turcis ereptum. *Ciclutia*, munita perquam A. 1694. a Venetis capta. *Salona*, urbs antiqua, A. 1684. in potestatem Venetorum redacta. *Castellum novum*, urbs castro munita, & A. 1687. a Venetis occupata. *Clissa*, fortalitium, A. 1688. subactum. *Scardona*, vetustate celebris, A. 1683. subdita. Huc pertinent insulæ quædam maris Adriatici, quarum præcipuæ sunt: *Veglia* s. Vega, urbem habet ejusdem nominis & sedem Episcopi. *Curzola* s. Corzyra nigra, cujus caput eadem denominatione insignitur. Exiguo ab hac intervallo distat *Ragusa*, parva Respublica, ad quam, præter oppidum *Stogno* & quosdam pagos, insulamque maris Adriatici *Melitam*, nihil pertinet, hæc eadem ferme, qua Veneti, utitur regiminis forma; urbs vero Ragusa copiosissima est in universa Dalmatia, & ob portum insignem mercatoribus referta.

II. Quædam in Epiro.

III. Plurimam partem Livadiæ.

IV. Diversas insulas maris Jonici, de quibus omnibus jam actum est superius, in capite de Imperio turcico.

Qualitas regionum Venetarum non ubique eadem est.

Marchia Tarvisina, optima & præstantissima inter venetas provincias, cœlo salubri & agro fruitur fertilissimo.

Ager Patavinus frumentis, vino, variisque herbis abundat. Ager Brixanus vini atque olei ferax est, ibidemque dantur fodinæ & marmora diversi coloris. Regio Veronensis & Vicentina nulla laborat sterilitate, imo Vicentinus ager *Hortus Venetus* appellatur. In foro Julii non desunt frumenta, pecora, pascua, vineta &c. Istria quidem infœcundior est, supplet tamen hunc defectum salis & lapicidinarum, præcipue marmoris, copia. Reliquarum regionum atque insularum tellus, quamvis ubertate prioribus sit inferior, nihilominus insularum fertilitas multis in rebus non penitus illis post habenda.

IV. Genua.

Respublica Genuensis in illo tractu continetur, qui Italis vocatur lo Stato della Republica di Genua s. la Riviera di Genua. Ejus metropolis dicitur *Genua*, ampla, splendidissimis ornata ædificiis, & munimentis probe cincta, unde merito *Superba* audit. Emporium Italiæ hæc est celeberrimum, cujus incolæ mercatura, præcipue serico, maximas sibi divitias compararunt. Porro *Savona*, sedes Episcopi, castello & portu firmata. *Serezana*, urbs non ignobilis, episcopatu gaudet. Et *Lericum*, *Albingaunum*, *Naulum*, *Rapallum*, *Intemilium*, *Portus Delphini* &c. De quibus nihil notandum.

Ad hanc Rempublicam quoque spectat *Corsica* insula e maximis maris mediterranei, cujus caput *Bastia*, sedes Gubernatoris Genuensis, hujus palatium, nec non portus atque castellum visu sunt digna. Reliqua oppida sunt *Adiazzo* s. Ajacium, *Aleria*, *Sagona*, *Mariana* & *Nebio*, quinque sedes episcopales. Porro *Calvium*, *Corte* s. Curia & *Bonifacio* s. Fanum S. Bonifacii.

Tellus, quæ ad Genuensem Rempublicam pertinet, per se quidem fertilissima, diligenti tamen incolarum cura & cultu uberior redditur, ita, ut fertilitate omnes Italiæ provincias superet. Corsica autem in quibusdam tantum vallibus vinum, oleum & fruges producit, reliqua sunt inculta. Habet tamen & quasdam ferri fodinas.

V. Lucca.

Respublica Luccensis angustis terminatur finibus, hinc præter urbem *Luccam*, quæ illius caput est, nulla reperitur, quæ alicujus sit momenti, hæc autem multis propugnaculis atque aggeribus undique munita, splendidissimisque ædificiis ornata est, quorum præcipua sunt palatium Senatus, Basilica atque armamentarium. Negotia a civibus serico tractantur, per quæ maximum urbi accessit emolumentum, hinc ab incolarum industria hanc Itali vocant *Industriosam*. Episcopatum habet ab Apostolica sede immediate dependentem. Regio quidem frumentorum parum ferax, castaneis tamen, vino atque oleo abundat.

Hactenus de imperiis, regnis atque rebus publicis Europæ satis dictum, nunc incepti operis ordo postulat, ut & in aliis orbis partibus ad eadem investiganda transeamus. Antequam autem ad hoc institutum nos accingimus, perlustrandi adhuc veniunt, præter jam enumeratos, reliqui Italiæ status, quos silentio prætereire, nefas duximus.

Sunt autem reliqui status Italiæ consideratu digni:

1. *Ducatus Parmensis*, qui in quatuor partes dividitur: 1.) in Parmam in specie. 2.) Ducatum Placentiæ. 3.) Ditionem Buxetanam. 4.) Vallem Tari.

Prioris partis caput est *Parma*, sedes Ducis, Episcopi atque Academiæ, splendet ædificiis, munimentis atque castro, templum cathedrale pulcherrimum est, nec reticenda sunt viridaria Ducis amœnissima. Adde, quod casei parmenses merito per totam Europam afficiantur laude.

Ducatus Placentiæ primaria urbs est *Placentia*, satis munita, Episcopum habet atque Academiam.

In ditione Buxetana prævalent *Florentiola*, urbs parva, sed propugnaculis validis cincta, & *Burgus S. Donnini*.

In valle Tari oppidum, *Burgus Vallis Tari* dictum, & castello munitum, præ reliquis notandum.

II. *Ducatus Mutinensis* comprehendit duos Ducatus, Mutinensem in specie, & Ducatum Regiensem, duos principatus, Carpiensem & Corregiensem. Porro territorium Frignano, partem vallis Garfagnana, & comitatum Rolo. Præcipuæ urbes sunt: *Mutina*, caput Ducatus & sedes Ducis, urbs spatiosa, pulchra atque munita; Templum cathedrale & excelsa turris, novumque Ducis palatium spectari merentur. Hæc etiam Academia & sede episcopali claret. Superiori bello per

per vices mox Cæsari, mox Galliæ Regi cessit; sed Imperatoris auxilio A. 1708. suo Duci restituta est. *Regium Lepidi* s. Reggio, urbs populo frequens, spatiosa, munimentis septa & castro munita, negotiatur potissimum serico. A. 1706. a milite Cæsareo Gallis erepta, Domino suo reddita est. *Berfello* s. Brixellum, hoc initio hujus seculi, quia aliquot obsidionibus cinctum, innotuit, *Carpium*, fortalitium & sedes Episcopi. *Corregium* ob fruges atque fructus copiose ibidem natos, celebre est.

III. *Ducatus Mantuanus*, hujus metropolis est *Mantua*, urbs potius situ, quam arte, munita. Palatium Ducis perquam splendidum est, in quo multa, quæ non sunt vulgaria, & antiquitatem præ se ferunt, spectanda. Variæ hic opificum reperiuntur officinæ, præcipue eorum, qui serica tractant. Antiquis quoque temporibus hæc ob locum natalem Virgilii aliorumque virorum eruditorum celebris fuit. Reliquæ urbes sunt: *Canetum*, *Gazzolo*, *Borgoforte*, *Gonzaga*, *Goito*, *Luzzara*, *Marmiruolo*, *Tor d'Oglio*, *Roncoferato*, *Redoldesco*, *Viadana* & *Vstiano*. Hunc Ducatum jam possidet Domus Austriaca, vi pacis Rastadii sancitæ.

Restant adhuc in parte inferiori Italiæ duo status memoratu perquam digni, nempe magnus ducatus Florentiæ & ditio Pontificis.

IV. Magnus ducatus Florentiæ tres complectitur partes:
1. Agrum Florentinum.
2. Tractum Pisanum.
3. Agrum Senensem.

Agri Florentini, imo totius ducatus, caput est *Florentia*, pulcherrima & amplissima fere in Italia urbs, hinc cognomine *Pulchræ* insignita. Templum S. Laurentii cum sacello præstantissimum est, adsunt & alia præclara ædificia atque palatia. Prope templum Laurentii asservatur celeberrima Laurentiana Bibliotheca, ratissimis codicibus manuscriptis referta. Gazophylacium magni Ducis, tot pretiosis atque curiosis repletum, ut fidem superet, inter quæ pretiosissimus ob insitatam magnitudinem adamas jure meritoque primas tenet.

Hæc egregia urbs commercia fovet, & eruditos in pretio habet, quorum decem ibidem reperiuntur Societates s. Academiæ. Sedes insimul est Archiepiscopi.

Tractus Pisani caput est *Pisa*, urbs perantiqua, Episcopatu atque Academia insignis. Hic loci A. 1664. componebantur dissidia quædam inter Papam & Regem Galliæ, *Livorno* s. Ligurnus portus, emporium percelebre, quod multarum nationum mercatores frequentant. Palatium magni Ducis, in quo Gubernator habitat, portusque laudari merentur.

Agri Senensis metropolis *Sena* est s. Siena, elegans & spatiosa, sedes Archiepiscopi atque Academiæ, ob habita hic concilia celebris. Incolæ optima linguæ Italicæ utuntur dialecto.

V. *Ditio Pontificis* s. status ecclesiasticus, excepto regno Neapolitano, præstantissima Italiæ regio dicitur. Complectitur autem varios ducatus, comitatus, aliasque provincias.

Ad ducatus pertinet 1) *Ferrariensis*, ubi prævalet *Ferrara*, urbs magnitudine, egregiis ædificiis ac munimentis eximia. Reperiuntur ibidem antiqua quædam palatia; Templa & cœnobia visu sunt digna. Sedes insuper est Episcopi atque Academiæ. Hanc excipit *Comachio*, urbs A. 1708. a milite Cæsareo occupata & probe munita.

2. *Ducatus Vrbinus*, in quo primaria urbs *Vrbinum*, sedes Archiepiscopi splendida. *Pesaro* s. Pisaurum urbs, vetustate insignis, sedes est Legati Apostolici atque Episcopi.

3. *Ducatus Spoletanus*, in quo eminet *Perugia* s. Perusia, inter urbes, quæ ditioni Pontificis subsunt, admodum vetusta & maxime conspicua, sedes Legati Apostolici atque Episcopi, nec non Academiæ celebris est. *Spoletum*, olim erat metropolis ducatus, A. 1703. gravissimis terræ motibus concussa pristinum amisit splendorem.

4. *Ducatus Castrensis*, in quo urbs *Castro* præcipua.

His porro jungitur *Marchia Anconitana*, hujus caput *Ancona*, in hac castrum cum palatio Legati Apostolici, curia, & templa quædam præ reliquis ædificiis excellunt. *Firmum*, sedes archiepiscopalis, *Asculum* vero atque *Jesi* s. Æsium urbes episcopales sunt. *Lauretum*, in cujus basilica inclytum religione sacellum D. Mariæ Deiparæ virginis visitur, sacris peregrinationibus notissimum, ferunt in illo S. Virginem ab Angelo salutatam fuisse. Stupendus rerum pretiosarum thesaurus in prædicto asservatur sacello, qui ex liberalitate religiosorum peregrinantium indies augetur.

Campania Romana caput agnoscit *Romam*, quæ totius Italiæ metropolis, sedesque Romanorum Pontificum est, urbs magnitudine, antiquitate & splendore nulli terrarum urbi inferior. Basilica S. Petri structura, sumtu, magnificentia, fere superat omnia orbis terræ templa, & reliqua Romæ palatia, nam hæc picturis, statuis, columnis, aris &c. miratu dignis pulcherrime exornata. Præterea inter miranda Romæ referenda sunt Bibliotheca insignis in Vaticano, bene multa palatia atque templa, Castrum s. Angeli, aliaque Cardinalium ædificia sumtuosissima. Tandem *Terracina*, sedes Episcopi, urbs ob cœli inclementiam non admodum copiosa. *Asturia*, *Albanum*, *Velitræ*, *Frascati* s. *Tusculum* &c.

Romandiola, cujus caput est *Ravenna*, antiquitate magis, quam ædificiorum pulchritudine celebris, hanc enim ante conditam Romam jam extitisse, historiarum scriptores produnt. Amplissimo portu & sede episcopali nobilitatur. Hanc excipit *Ariminium*, urbs antiqua perquam, olim portu, marmoribus extructo, celebris; Pons ibi visitur marmoreus, veterum quorundam Imperatorum sumtibus extructus.

Ager Bononiensis, cujus primaria urbs *Bononia* dicitur, ampla, divitiis & pulchritudine splendida, sedes Archiepiscopi est atque Academiæ, quæ seculo quinto fundata; in hac primos Juris Civilis atque Canonici Professores constitutos fuisse, postea demum in Germania hoc quoque usu receptum invaluisse, fama est.

Patrimonium Petri, in quo prævalet *Viterbium*, sedes Episcopi, hæc quatuor Pontificum sepultura in templo cathedrali nobilis est. *Orvieto* s. urbs vetus episcopalis, elegans & satis munita. In hac primo omnium paratum est *Antidotum* sive medicamentum contra venenum, quod Orvietan nuncupari solet. *Civita Vecchia* s. Centum cellæ, ubi portus præstantissimus, navibus pontificum destinatus, reperiuntur & ibidem sumtuosi aquarum ductus. *Monte Fiascone* s. Mons Flasconis, it. *Faliscum* abundat optimis vinis, unde vinum faliscum, Germanis Muscateller-Wein dictum.

Ager Sabinus, hujus præcipua urbs Magliano, s. Manliana vocatur, sedes est Episcopi Sabini, incolis plena.

Extra hanc ditionem ad Pontificem spectat Archiepiscopatus Beneventinus regni neapolitani, & Avignon s. Avenio comitatus Galliæ, de quibus suo loco dictum.

Sufficiant hæc de præcipuis Europæ statibus.

Caput II.

De præcipuis Asiæ statibus.

Asia multas & vastas complectitur provincias, quarum notissimæ sunt 41. numero. Ex his quatuor sunt imperia, duæ sunt partes aliorum imperiorum: Triginta vocantur regna: & quinque sunt dominia, ab Europæis passim in Asia stabilita.

Quatuor imperia constituunt 1. Persicum. 2. Mogolicum. 3. Chinense. 4. Japonicum.

1. *Persia* e præcipuis Asiæ imperiis, quod quoque regnum Sophi dictum, quo titulo Persarum Rex insignitur ab incolis. Dividitur plerumque in octodecim provincias. Regio vini atque frugum feracissima est, abundat gossypio & moris, bombycibus alendis occasionem præbentibus, hinc potissimum incolarum negotium sunt serica & res e serico confectæ, quæ præ aliis reditibus ærarium publicum quam maxime adaugent. Caput regni vocatur *Aspahanum* s. *Ispahan*, sedes regia, urbs amplissima atque opulentissima, parum tamen munita, nisi pone palatium, ubi regius asservatur thesaurus. *Schiras* s. *Schirasium*, urbs magna itidem & sicu commoda, vino & malis punicis per totam Persiam celebris. *Tauris* s. *Tabrisium*, emporium, si Aspahanum excipias, nobilissimum, caput quondam regni atque regum sedes, ubi e serico atque filis aureis pretiosa texuntur vestimenta, nec non genus quoddam corii, quod Schagrin vocant, conficitur. *Casbinum*, emporium incolis plenissimum. *Derbentium*, ubi portæ Caspiæ sive transitus e Persia in Moscoviam, & ubi jam Russi rerum potiuntur.

2. *Imperium magni Mogolis* maximam partem terræ firmæ in India constituit, & quadraginta circiter regna atque provincias comprehendit. Ab incolis dicitur *Indostan*, hinc Princeps quoque eorum imperator regni Indostan appellatur. Regio illis in partibus, quas majores præterlabuntur fluvii, optime culta, terra gossypium, oryzam, dactylos, cocum atque sericum abunde fert. Urbium primaria dicitur *Agra*, sedes imperatoris, cujus Palatium stupendo

auri atque gemmarum ornatu refulget. Hanc excipit *Surata*, splendidum atque ditissimum emporium, mercatorum quoque ex Europa advenientium copiâ repletum, Gubernatorem habet à Mogole constitutum. *Cambaya*, ob commercia quoque celebris, hinc ea plerumque Cairus Indica solet appellari. *Diu* s. *Dium*, ab an. 1535. Portugallis subdita.

3. *Imperium Sinense* pulcherrimum atque præstantissimum in Asia regnum est, quod in sedecim provincias dividitur, in quibus ingens urbium reperitur numerus. Fertilissima regio est, nam omnium generum fruges, sicut Europa, imò multò plura profert. Gossypio, serico atque metallis abundat. Vasa fictilia, Porcellain dicta, in hoc formata, reliquis omnibus regionum orientalium palmam præripiunt. Asserunt, Chinenses artem typographicam, pyrobolicam, chartam conficiendi, serica texendi, &c. dudum apud se floruisse, priusquam eorum notitia ad Europæos pervenerit. Metropolis regni *Pecking* s. *Pechinum* dicitur, perpetua Imperatoris sedes. Maxima totius orbis terrarum urbs creditur, nam multorum milliarium germanicorum circuitum habet; tamen præter magnitudinem atque palatium regium nihil notatu dignum ibidem est. *Nanquin* s. *Nanquinum*, urbs magna & sedes quondam Imperatorum, commerciis clara, ut & *Quancheu* s. *Quancheum*, in qua urbe vasorum fictilium, modo dictorum, pretiosissimorum copia datur. Numerus urbium præcipuarum in regno Chinensi ad centum & sexaginta, mediocrium ad 240. minorum verò ad 2357. extenditur.

4. *Regnum Japonicum* constat è pluribus Insulis à Chinâ versus Orientem sitis, quarum maxima & primaria est *Niphonia* s. *Jappon*, cujus metropolis *Meaco*, sedes Imperatoris vero *Jeddo* vocatur. Dividitur hoc regnum à Geographis modernis in septem partes. Regio fertilitate & cœlo salubri gaudet; aurum, argentum, margaritæ, elephantes, cameli aliaque animalia copiosè reperiuntur, nec desunt flumina, lacus atque portus.

E duabus partibus Asiæ ad alia Imperia spectantibus altera ad Moscoviticum, altera verò ad Turcicum in Europâ pertinet Imperium. Moscovitico subjacet *Tartaria moscovitica*, in qua sunt regnum *Astracanum*, *Casanum*, & *Bulgariæ*, *Siberia* atque *Samojeda* provinciæ, terminantur regno Chinæ & mari septentrionali glaciali tartarico, plurimam partem adhuc incognito. Turcico imperio in Asia subsunt sex provinciæ: *Natolia*, *Soria*, *Arabia*, *Georgia*, *Turcomannia* & *Diarbecker*.

Regna Tartariæ moscoviticæ in Asia nomen adepta ab urbibus eorum primariis, quæ sunt: *Astracanum*, urbs amplitudine & turrium multitudine spectabilis, variarum mercium, præcipuè salis, negotio, hinc & variarum gentium frequentia celebris. *Casanum*, pellibus præcipuè lucrum quærit. *Bulgaria* quoque regni sic dicti metropolis, prout *Siberia* Siberiæ, porro *Tobolska* s. *Tobolium*, ambæ sedes episcopales. In Samojedâ nullum reperitur oppidum, nam incolæ sub tuguriis vivunt. Versus Septentrionem regio Tartariæ hujus minus felici fruitur cœlo; versus Meridiem autem, præcipuè in regno Astracano, terra frugum ferax est, nec desunt pisces, aves, aliaque.

Asiæ turcicæ regiones sunt: 1. *Natolia*, quæ vulgò in quatuor partes dispescitur, scil. *Natoliam* in specie, *Amasiam*, *Caramaniam* & *Alauduli*.

Natoliæ metropolis est *Smyrna*, emporium nobilissimum, & incolarum frequentia atque portu celeberrimum. Non procul ab hac distat *Ephesus*, urbs antiqua, ob Dianæ templum imprimis celebrata, in cujus structuram ducentorum annorum spatium insumtum fuisse tradunt. Nostris temporibus hæc nullius est momenti. *Bursia* s. *Brusia* sedes quondam erat Imperatorum Turcicorum. *Pergamus*, urbs Alexandri M. temporibus jam jam nota: Patria fuit Galeni, ibi inventus est usus chartæ, quæ vulgo Pergamena dicitur.

Amasiæ caput est *Amasia*, totius Natoliæ quondam metropolis, quæ ampla & notatu digna. *Trebisonde* sive *Trapezus*, sedes olim Imperatorum Græcorum. *Tocata*, oppidum eximium, in quo viduæ Imperatorum turcicorum sedem suam figunt. Præcipuus in *Caramania* locus est *Cogni* s. *Iconium*, sedes Gubernatoris, Turcis Beglerbeg dicti. Deinde *Tersis*, olim *Tarsus*, patria Pauli Apostoli aliorumque virorum celebrium. Caput provinciæ *Alauduli Maraz* s. *Malatia* dicitur, sedes Gubernatoris. Hùc pertinent quoque quædam insulæ, nempe *Cyprus*, ob amplitudinem regni titulo merito gaudet, cujus præcipuæ urbes *Nicosia*, caput & sedes Bassæ Turcici, nec non Archiepiscopi, non exigua quidem est, attamen non copiosa: *Fama Augusta*, perquam munita, commerciis celebris, & sedes episcopalis est. Insula *Rhodus* metropolin habet ejusdem nominis, munimentis cinctam, & Archiepiscopatu celebrem. Antiquis quoque temporibus hæc insula ob colossum Solis, statuam, quæ altitudine 60. l. 70. ulnas æquabat, erat notissima.

2. *Soria* s. Souristan complectitur omnes provincias, quæ quondam Syriam, Phœniciam & Palæstinam constituebant, hujus caput est *Aleppo* s. *Aleppum*, urbs, excepta Constantinopoli & Cairo, præstantissima est in Turcia, & celebre emporium. Ab hâc trium dierum intervallo distat portus *Scandrona* s. *Alexandria* dictus, in quo magnus ex toto orbe navium confluxus quotidie spectandus. *Tripoli di Soria*, portu & castro insignis. *Antiochia*, caput Syriæ, titulum præbet Patriarchæ, qui vero in urbe Damasco sedem habet. *Damascus*, urbs ampla, & ob commercia diversis gentibus repleta, conversione Pauli Apostoli olim quoque celebrata. *Jaffa*, olim *Joppe*, ex antiquissimis orbis totius urbibus, in quâ præter portum, quò multi ex Europâ mercatores tendunt, nihil memoratu dignum. *Hierosolyma* caput est Palæstinæ, non procul ab hoc loco fundata, ubi quondam antiqua illa & celeberrima urbs Hierosolyma erat sita, hanc varii incolunt populi, Christi verò sepulchrum à Patribus ex ordine S. Francisci custoditur.

3. *Arabia* dividitur in *petræam*, *desertam* & *felicem*. Maxima ejus pars inculta est, reliqua subsunt imperio Principum, Emirs dictorum, quatuordecim numero, qui Turcici Imperatoris sunt Vasalli. Horum duo tamen neminem agnoscunt superiorem, scilicet Principes Meccæ & Fartach, Regibus similes, de quibus infra. Inter Arabiæ felicis urbes præcipuas numerantur: *Medina*, cognomine *Talnabi*, sepulturâ Mahometis & Turcarum peregrinationibus celebrata, Christianis sub pœna capitis hunc locum accedere prohibitum est. *Zibithum*, emporium ad mare rubrum situm. *Adenum*, urbs pulchra & munita, portu quoque prædita & commerciis florentissima.

4. *Georgia* in varios dividitur Principatus, quorum qui versus Orientem, Persis, qui versus Occidentem siti, Turcis tributarii sunt. Quidam tamen horum Principum reliquis sunt potentiores, nempe Princeps Imeretiæ & Princeps Odieschiæ, hinc à multis Regum titulo insigniuntur. Primariæ urbes sunt *Tephlis*, sedes episcopalis. *Cotatis*, urbs munita. *Soram* & *Aly* oppida non spernenda.

5. *Turcomanniæ* caput *Erzerum* dicitur, sedes Gubernatoris sive Bassæ; *Carse*, locus insignis est, & ideo notandus, quia accedit titulo Imperatoris Turcici, in quo & Dominus *Carsæ* nuncupatur.

6. *Diarbecker* caput agnoscit urbem ejusdem nominis, quæ ampla est atque incolis plena. Celebratur ob quoddam genus corii rubri, quod Saffian dicitur, pannorum linteorum è gossypio confectorum negotiis admodum invigilat. *Bagdadum*, opulentum emporium, sedes Bassæ, castro tamen præsidet Aga s. Chiliarcha Janizariorum. Incolæ partim Christiani, partim Turcæ atque Judæi sunt. *Mosul* s. *Mausillum*, ubi quondam Niniven sitam fuisse credunt. *Edessa*, hodie *Orsa*, caput olim Mesopotamiæ, terræ motibus miserè concussa est, egregiè tamen restaurata.

Solum Turciæ asiaticæ non ubique eâdem gaudet fertilitate, nam Natolia, Diarbecker & Soria, ut & Arabia felix nullâ laborant sterilitate, è contra verò Arabia deserta atque petræa omninò steriles. Georgia nobili vino & serico, Turcomannia verò re pecuaria celebris est.

Regna in Asia numerantur triginta, quorum viginti tria in Terra firma, septem vero in Insulis reperiuntur.

Terræ firmæ regna sunt: 1. *Mecca*, 2. *Fartach in Arabia*. 3. *Visapor*. 4. *Golconda*. 5. *Calecut*. 6. *Cochim*, in peninsula Indiæ intra Gangem. 7. *Siam*, 8. *Camboja*. 9. *Ava* s. *Pegu*. 10. *Arracam*. 11. *Acham*. 12. *Tunquin*. 13. *Cochinchina*, in peninsula Indiæ extra Gangem. 14. *Barantola* s. *Lassa*. 15. *Nechal*. 16. *Tanju*. 17. *Thibetum majus*. 18. *Thibetum minus*. 19. *Kasgahr*. 20. *Samarkand* & 21. *Balch*, in Tartaria majore. 22. *Odieschi* atque 23. *Imerette* in Georgia.

Regna insularum sunt: 1. *Regnum insularum Maldivarum*. 2. *Candea* in insula Ceylon. 3. *Achem* in Sumatra. 4. *Materan* in Java. 5. *Borneo*. 6. *Macassar* & 7. *Ternate* in Moluccis insulis.

1. *Mecca* regnum in Arabia regitur à Principe potenti & nemini subjecto, caput regni *Mecca* dicitur, patria Mahometis

hometis, magnitudine, opibus atque peregrinationibus insignis. Regio, quæ in Arabia felici, est ferax balsami, myrrhæ, thuris aliorumque aromatum.

2. *Fartach*, cujus caput eodem insignitur nomine, fertilitate neutiquam cedit regno Meccæ.

3. *Visapor*, intra Gangem potentissimum regnum est provinciæ Decan, hinc ejusdem Rex sæpius Rex regni Decan appellatur. Solum varia profert. Metropolis itidem *Visapor* dicitur.

4. *Golconda*, regnum Indiæ intra Gangem, adamantes producit, nec non oryzæ, salis, ferri atque chalybis copiam. Caput regni est *Golconda*, urbs inter præstantissimas & amplissimas Indiæ perquam celebris.

5. *Calecut*, insigne quoque Indiæ intra Gangem regnum, pipere atque gemmis abundat, hinc ab exteris mercatoribus visitatur. Metropolis dicitur *Calecut*, emporium portu celeberrimo præstans.

6. *Cochinum* regnum, intra Gangem situm, urbem præcipuam habet ejusdem nominis, sedem Regis, quem, expulsis Portugallis, Batavi sibi subditum reddiderunt.

7. *Regnum Siamense*, extra Gangem, in undecim provincias dividitur. Regio fertilissima frugum, imprimis oryzæ aliorumque ad victum fructuum. Si aurum, argentum, stannum, plumbum spectes, non desunt fodinæ, non tamen aurum atque argentum ea, qua alibi, præstantia gaudet. Mercatores inde pretiosissimas Asiæ merces evehunt. Palatia regia undique auro atque gemmis resplendent, adeo ut, excepto Chinensi regno, nusquam in Oriente tam splendidus thesaurus reperiatur.

8. *Camboya* s. *Cambodia*, regnum Indiæ intra Gangem, situm est intra Siamense & Cochinchinense, in varias dispescitur provincias, quarum caput *Camboya*. Solum ferax est, nec deficit aurum atque argentum.

9. *Regnum Peguanum*, s. *Avæ*, olim amplissimum fuisse dicitur, sed ob vicinorum Regum infestationes paulatim in arctius spatium redactum. Regio fert piper, oryzam, vinum, saccharum. Caput ejus est *Pegu* s. *Peguum* ad flumen ejusdem nominis situm.

10. *Arracan*, potens extra Gangem regnum in duodecim territoria dividitur. Regio ferax frugum, oryzæ, arborum varii generis, cœlum est salubre. Præcipua urbs *Arracan* dicitur.

11. *Acham*, extra Gangem situm, largo oryzæ aliarumque rerum proventu fruitur.

12. *Tunquin*, regnum Indiæ extra Gangem, multas complectitur provincias, in quibus fere viginti millia urbium & pagorum numerari statuunt hujus regni incolæ. *Checo* s. *Kechio* caput regni est. Saccharo variisque animalibus abundat regio, vino tamen & frumentis, præter oryzam, caret.

13. *Cochinchina*, extra Gangem, in sex provincias dividitur, quinquaginta circiter portus habet insignes. Metropolis hujus *Caccian* vocatur. Aurum profert atque argentum, quæ, ut & serica & vasa fictilia, incolis sunt venalia.

14. Regna Tartariæ Asiaticæ nominantur *Barantola*. 15. *Nechal*. 16. *Tangu*. 17. *Thibet* majus. 18. *Thibet* minus. 19. *Kasgahr*. 20. *Samarkand* & 21. *Balch*. De his, cum hæc nondum satis detecta sint, nihil notari potest.

In *Georgia* dantur duo regna: 22. *Odieschi* & 23. *Imerette*. In hoc regio sylvis & montibus repleta est, in vallibus tamen amœna sæpius & frugifera datur planities, multos continet pagos & fodinas ferrarias. Princeps regni Imerette se Regem Regum appellat.

Septem regna Insularum sunt.

1. *Regnum Insularum Maldivarum*, quod à Septentrione versus Meridiem supra trecenta milliaria extenditur; numerus harum insularum hinc & tantus est, ut aliqui harum supra 12000. esse asserant, interim tamen incertus, constat enim, nautas sæpius prominentes è mari scopulos pro insulis reputare. Plerumque hæ dividuntur in tres partes, ab incolis Attelloas, quæ Pagos denotant, dictas, unde hic, qui illis imperat, sedemque habet in Insula Male, tanquam præcipua, Rex tredecim provinciarum & 12000. insularum nominatur. Nulla in his dantur frumenta, mel tamen, mala punica, & nuces indicæ in iis abundant. Potiores Regis reditus vectigalibus maritimis tribuuntur.

2. *Candea* præcipuum est è novem insulæ Ceylani regnis. Aëre gaudet purissimo & salubberrimo præ reliquis totius Indiæ regionibus. Casiam aliaque aromata large profert, nec nec non aurum, margaritas atque gemmas. Caput eodem nomine dicitur *Candea*.

3. *Achen*, regnum intra novem Sumatræ, quæ insula est e tribus de la Sonde dictis, est præstantissimum, caput habet ejusdem nominis. Regio pluribus irrigatur fluviis, ingentique arborum perpetuo virentium copia est referta. Piper, zingiber, gossypium, gemmas abunde largitur, nec desunt insignes argenti, stanni, ferri, æris, sulphuris, præcipue autem auri, fodinæ.

4. *Materan* celebre insulæ Javæ regnum est, quod fertili fruitur solo, aromatibus, pipere, saccharo atque metalli fodinis abundat. Caput hujus regni itidem *Materan* dicitur; totius insulæ urbs primaria quondam erat *Bantam*, celebre emporium, hodie tamen *Batavia* Belgarum prævalet.

5. *Regnum Borneo*, inter regna insulæ, Borneo dictæ, præcipuum est. Caput ejus est *Borneo*. Regio hæc minus quidem salubris, fertilissima tamen totius Orientis. Gemmas atque adamantes pretiosissimos producit, quædam metalli fodinæ purissimum largiuntur aurum, camphora præstantior in tota India non reperitur; Piper aliaque aromata & fruges ibidem abundant.

6. *Macassar*, regnum insulæ, Celebes vocatæ, quæ est e Moluccis, hujus potissima urbs *Macassar*. Hic ficuum atque cocorum datur copia, nec desunt alia ad victum necessaria.

7. *Ternate*, regnum insulæ e Moluccis, eodem nomine gaudentis; Pipere aliisque aromatibus celebratur.

Dominia ab Europæis in Asia stabilita quinque sunt:

I. Lusitani possident in India urbem amplam, munitam atque opulentam, *Goa* dictam, aliaque loca ad littus sita, v. g. *Deman*, *Schoutt* &c.

2. *Diu*, munimentum in magni Mogolis territorio.

3. Colonias quasdam in Malabaria.

4. Emporium celebre, *Macao* nuncupatum, sub China in quadam insula situm.

II. Hispanis propria sunt:

1. *Insulæ Philippinæ*, quæ sunt numero 1200. prout Itineraria tradunt. Dicuntur autem Philippinæ, quia sub Philippo II. ab Hispanis incoli cœperunt. Præcipua harum vocatur *Lucon* sive *Manhilla*, cum urbe ejusdem nominis. Olim quidem omnes hæ insulæ dominio Hispanorum erant subditæ, successu tamen temporis quædam, v. g. *Mindanao*, *Paragoia* aliorum juris factæ sunt. Solo lætantur fertili, suppeditant piper, cinnamomum, saccharum, mel, ut & in insula Manhilla fodinas auri. Frumentum, vinum, oleum aliique in Europa celebrati fructus in illis non reperiuntur. Manhilla sedes est Archiepiscopi atque Gubernatoris Hispanorum.

2. *Insulæ Latronum* ab Hispanis detectæ atque cultæ. Quatuordecim numero sunt; in honorem reginæ cujusdam Hispaniarum *insulæ Mariæ Annæ* quoque appellantur. Hæ cum vicinis quibusdam communi nomine Archipelagus S. Lazari à Geographis nominantur.

III. Anglis parent:

1. Bombay insula prope Goam.

2. Fortalitium S. Georgii & S. Davidis in littoribus Coromandel.

3. In Sumatra insula fortalitium Yorck s. Bencoull.

4. In China, *Chusan* & *Amoy*, duæ sedes institorum.

IV. Belgæ in Asia bene multa occuparunt, præcipue in India orientali, in qua A. 1617. urbem munitissimam *Batavia* in insula Java condiderunt, ibique certam regiminis formam constituerunt, ita ut hactenus in insulas Javæ atque Sumatræ imperent. Præterea possident in India regimina sex, sic dicta gubernia, quorum primum in littore Coromandel, hujus caput *Pellicate*. Secundum in insula Ambona s. Amboina, nam omnes ferme Moluccæ insulæ Batavis subjectæ sunt, in quibus largus caryophyllorum, piperis, aliorumque aromatum proventus est; Præcipua urbs est *Victoria*. Tertium in insula Banda. Quartum in Ternate, quæ utraque e Moluccis est. Quintum in insula Ceylana, cujus caput *Columbo*, quod Lusitanis cum urbe *Gallo* aliisque eripuerunt. Sextum in Malacca, peninsula Indiæ, in qua ceperunt anno 1641. urbem *Malaccam*, Lusitanosque expulerunt. Constituti quoque sunt a Belgis Gubernatores in *Macassar*, insulæ Celebes, in *Padan*, insulæ Sumatræ, in *Andragiry*, ejusdem insulæ, in *Timor*, insulæ ex Moluccis, alibique in littore Malabar. His adde, quod in Ispahan & Bandorabassi,

Persiæ urbibus in Surata, Agra & Amadabar, in magni Mogolis ditionibus, suos habeant institores negotiorum curam habentes, ut & in Bengal, Balimbang, Jambi, Siam & Lingor. In Japonia unicus tantum est.

V. Ad Danos spectat:

1. *Trangebar* & *Dansburg* in littore Coromandel.

2. Colonia in littore Malabar, quo ad convertendas gentes ethnicas profecti sunt Missionarii quidam, nomine Ziegenbalg, Grúndler &c.

Caput III.

De præcipuis Africæ statibus.

Africa varia comprehendit imperia, regna atque dominia, e quibus notatu digna sunt 1. Quatuor imperia, cum parte alterius. 2. Tredecim regna. 3 Unica respublica, & 4. septem dominia ab Europæis constituta.

Imperia sunt 1. Abyssinia, 2. Marocco. 3. Monomotapa & 4. Monoëmugi.

1. Amplissimum Abyssiniæ imperium in multa alia regna dividitur, quibus maximam partem imperat unicus imperator, ab incolis magnus Negus dictus; quædam ad mare rubrum sita Turcis parent. Quamvis regio calidissima sit, abundat tamen frumentis aliisque fructibus in locis fluminibus vicinis. Animalium mansuetorum & silvestrium magnam copiam alit. Aurum, argentum, æs, stannum, ferrum atque sulphur large producit.

2. Regnum Fessanum & Maroccense duo olim distincta erant regna, jam vero unico subsunt Domino, qui se imperatorem Barbariæ, & Marochii, regem Fezzæ atque Tafilet nominat. Multum huic regno decedit a pristina magnitudine, postquam hinc inde aliquid illi ereptum. *Fezza* cultissima Barbariæ regio est, urbibus multis repleta & a fluminibus admodum irrigata. Maroccense solum arenosum est, &, si frumenta atque animalia spectes, Fessano postponendum. Urbes primariæ sunt *Fezza* & *Marochium*.

3. Monomotapa potentissimum Africæ imperium dicitur, viginti quinque comprehendit regna tributaria. Sedes imperatoris est *Monopotapa*, cujus palatium magnifice exstructum atque exornatum est. Lusitani ipsum vocant imperatorem aureum, non solum, quod multas possideat auri fodinas, sed & quod fluvii ejusdem imperii auro intermixtas volvant arenas. Regio oryzam, saccharum, poma aliaque largiter præbet. Incolæ struthionum pennis & dentibus elephantum negotia gerunt.

4. Imperium Monoëmugi hactenus parum nobis innotuit, attamen scimus, hoc perquam amplum, ejusque dominum perpotentem esse, ita, ut plurimi ipsum pro imperatore agnoscant. Notissimus in regno locus est *Chicova*.

Pars illa imperii Africani, cujus reliqua in Europa atque Asia sita, sunt regna *Ægyptus* & *Barca*, quæ Turcico subsunt imperio. *Algeria*, *Tunes* atque *Tripolis* olim regna, hodie respublicæ, & sub Turcarum tutela sunt, quibus & regnum Nubiæ interdum se submittere cogitur. Caput Ægypti *Cairo*, maxima urbs ferme totius orbis terrarum, atque emporium celebre, sedes Bassæ duorumque Patriarcharum. Pretiosissima hic texuntur aulæa, & prope hanc urbem reperiuntur Pyramides antiquitate & structura insignes. *Alexandria*, ob ædificiorum splendorem & commercia *magnæ* cognomine olim insignita, hodie parvi est momenti. Notatu quoque dignæ sunt urbes *Suez*, *Damiate* atque *Rosette*. In regno Barcæ urbs antiqua eodem nomine prædita prævalet. Inter urbes primarias reliquorum regnorum, sive potius rerumpublicarum amplæ, opulentæ & copiosæ sunt *Algeria*, *Tunes* atque *Tripolis*. Regio Ægypti atque Algeriæ fertilis est, reliqua est in Turcia Africana sterilis, sicca atque petrosa.

Regna in Africa tredecim sunt: 1. Tafilet in Biledulgerid. 2. Gaoga. 3. *Borno* in deserto Saara. 4. Tombut. 5. Gangara. 6. Sousos in Nigritia. 7. Benin. 8. Arda in Guinea. 9. Makoko. 10. Majac. 11. Congo. 12. Loanga. 13. Angola in regione Congo.

1. *Tafilet* in Biledulgerid præcipuum regnum est, sed arenosum, & ob nimium calorem perquam sterile, unde nec frumentum, præter hordeum in locis quibusdam fluminibus proximis, fert. Opes regni è dactilis atque camelis proveniunt. Præter *Tafilet* nullam ajunt reperiri urbem, nam Arabes sub tentoriis vivunt, indigenæ vero in pagis habitant.

2. 3. Gaoga & Borno sunt regna in deserto Saara sita, de quibus nihil dignum notatu occurrit. Hæc ob intolerabilem solis æstum & sabuli copiam torrent. Leones, tigres atque struthiones deserta inhabitant. Incolæ ex ovis atque plumis struthionum lucrum quærunt, quarum ingens copia ad Europæos transfertur.

4. *Tombut* inter quatuordecim Nigritiæ regna præcipuum est, sedem regiam habet in *Tombut*, quæ urbs eodem nomine prædita. Calida quidem, sed salubris est cœli tempestas. Mercimonia incolarum sunt dentes elephantum, vinum palmarum, præcipuè autem mancipia, quæ incolæ Hispanis atque Lusitanis divendunt, qui, in Americam navigantes, eorum ibidem operâ in effodiendis metallis & saccharo in molis conficiendo utuntur. Ferunt multos ex illis suos liberos atque uxores hisce laboribus destinasse.

5. *Gangara* Nigritiæ regnum independens est, reliqua enim regno Tombut subjacent. Urbes sunt *Gangara*, *Maraſſa*, *Samigda &c.*

6. *Sousos* etiam regnum est Nigritiæ. Horum potissimum negotium est ambra atque ebur.

7. *Regnum Benin* pars est Guineæ, nam in tres partes distinguitur, quarum prima Guinea propriè dicta, 2. Malagetta, 3. Benin. Prima pars vocatur *Ora aurea*, tertia *Ora dentium*. Nullibi in Africa tantus Europæorum diversarum nationum confluxus reperitur, quàm in Guinea, præcipuè in aureâ illius orâ, nam non solum Lusitani atque Angli, sed & Belgæ, & Dani ibidem sua habent fortalitia, sicut infra edocebimus. Regio regni Benin ferax est oryzæ, gossypii atque eboris, ærisque calor vix tolerabilis est.

8. *Arda* regnum inter Benin atque oram auream situm, vocatur hoc à recentioribus Geographis *Ora Mancipiorum*, nam ibidem magnus eorum numerus prostat pretio. Caput regni *Arda* dicitur.

9. *Macoco* amplissimum regnum est in Congo, & viginti habet Reges tributarios. Incolæ sunt anthropophagi, qui mancipiorum suorum carnibus, quasi bubulâ, vescuntur. Inter suas merces mancipia, æs atque ebur sunt potiores. *Monsul* urbs regni primaria.

10. *Mujac*, respectu præcedentis regni versus Septentrionem situm, semper bellum gerit cum Rege in regno Macoco, quod & magnitudine & potentia illud longe superat.

11. *Congo*, regnum ex reliquis amplissimæ regionis Congo præcipuum. Terra ob multitudinem fluviorum pluvioso tempore exundantium feracissima est. Mala citrea, aurea, dactyli, cedri copiosè crescunt, ut & cassia atque tamarindæ. Elephantes alit insignis magnitudinis, ita ut unico denti ducentarum librarum pondus vix sufficiat.

12. Regnum *Loango* etiam in Congo situm. Ejus urbs primaria idem habet nomen. Regio fertilis est, ebur, æs, stannum, plumbum atque ferrum, quæ è longè dissitis Sondi fondinis apportant, ad negotia incolarum referuntur. Præcipuus interim quæstus ex nundinatione mancipiorum in eos redundat.

13. Regnum *Angola* in parte meridionali regni Congo situm, dividitur in octo partes, quarum unaquæque iterum alias minores comprehendit. Assidua Lusitanorum cultura agros hujus regionis fertiles reddidit. Rex Angolæ sedem habet in castro, quod in excelsa atque præcipiti rupe situm, ubi ob angustiam aditûs securus à metu vitam agit.

Respublica Africæ vocatur

Brava, prope littus Zanguebariæ in regione Ajan sita; Ejus incolæ legibus, ab aliorum dominiorum constitutionibus plane diversis, gubernantur.

E Dominiis ab Europæis in Africâ constitutis

I. Ad Lusitanos spectant:

1. Loca quædam in littore Barbariæ, præcipue fortalitium Masagan in regno Marocco situm.

2. Quædam oppida in parte interiori regni Guineæ.

3. Plures coloniæ in regno Congo, præcipuè in Angola, & Gubernatorem & Episcopum habent in vicina insula S. Paul de Loando dicta.

4. S. Philippo s. Benguela in regno Benguela amplissimæ regionis Concho.

5. Fortalitium S. Martin dictum, in Imperio Monoëmugi

6. Urbes primariæ Mozambique & Mombaza, in regnis ejusdem nominis, regionis Zangebar, nec non aliquot fortalitia,

talitia, at verò fortalitium Monbaz Lusitanis anno 1700. a Mauris iterum ereptum.

7. Quædam loca regni Sofala in regione Cafferiæ.

Insulæ Africanæ ad Lusitanos spectant & sunt:

1. *Madera*, ab Anglo Rob. Machin dicto, primum detecta, in qua tamen, cum navem ipsius victu necessario instructam a littore sæva avulserit tempestas, misere perire coactus. A. 1420. Lusitani eam occupabant, & ob multitudinem sylvarum, quas omnes deinde incendio destruxerunt, Maderam appellabant. Abundat hæc insula cannis saccharo, melle, cera, & frumento. Vineta quoque generosum suppeditant vinum. Ex hac ingens lignorum ebeni atque cedri copia in Lusitaniam defertur. Caput & sedes dicitur *Funchal*.

2. Insulæ Capitis s. Promontorii Viridis, quarum non exiguus numerus. A. 1460. hæ detectæ sunt ab Antonio Nole, Genuense, postea vero a Lusitanis occupatæ. Non admodum feraces sunt, abundant tamen sale, capris atque hircis, quorum pellibus insignem in Brasilia & Lusitania faciunt quæstum.

3. Insula S. Thomæ sub Æquatore sita, & A. 1405. die divo Thomæ dicato, unde nomen accepit, a Lusitano quodam detecta. Batavi A. 1641. illam in suam potestatem redegerunt, successu tamen temporis hæc denuo ipsis a Lusitanis eripiebatur, qui urbem castro atque munimentis firmarunt, cum hi, in Indiam orientalem navigantes, refectioni hanc insulam commodam senserint. Aeris constitutio advenis molesta est, & neque frumenta, neque vina ibidem crescunt, palmarum tamen & sacchari copia ibidem datur.

In vicinia hujus insulæ aliæ adhuc reperiuntur, in quas itidem Lusitani jus sibi acquisiverunt, & sunt,

4, Insula Principum, sic dicta, quod superioribus temporibus Principi cuidam Portugalliæ annuos præbuerit reditus.

5. Insula Ferdinando Poo, ab inventore sic dicta.

6. Insula Anno bon, S. de bon an appellata, quia scilicet prima novi anni die a Lusitanis detecta. Hæ tres insulæ solo fruuntur feraci, & incolis perquam sunt repletæ, nam aër in illis salubris est.

7. Insula S. Matthæi, A. 1526. a Portugallis detecta.

8 Insula Ascensionis, festo scilicet ascensionis Christi a Lusitanis detecta; Sterilitate quidem laborat, nihilominus ibidem reperiuntur coloni.

II. Hispanis subjecta sunt:

1. Loca quædam in littore Barbariæ, inter quæ prævalent *Melilla* & *Ceuta*. Ceuta obsidione 26. annorum, Trojanam superante, celebris est. A. 1720. Hispani, repulsis Mauris ab obsidione, illam ab hac liberarunt.

2. Canariæ insulæ, a primaria earum, Canaria, sic dictæ, & ab Hispanis seculo decimo quinto pedetentim occupatæ, duodecim numero sunt. Melle variisque animalibus abundant, & vino Canariense, quod generosissimum esse nemo ignorat. Gubernator harum insularum sedem habet in urbe Canaria. Ex his præcipue quoque Geographiæ cultoribus notandæ sunt insulæ Ferro, Teneriffa & Palma, nam per has plurimi Geographi primum meridianum duxerunt. Galli ex mandato Regis Ludovici XIII. A. 1634. insulam Ferro; alii vero Teneriffam; Ricciolus autem insulam Palmam huic negotio aptam esse, sibi persuaserunt. In Teneriffa celebratur mons *Pico*, quem altissimum credunt esse in toto terrarum orbe, ejus autem altitudinem duobus milliaribus gallicis cum dimidio æqualem statuunt. Interim notandum, nos in tabula geographica universali primum Meridianum cum insula Teneriffa respondentem exhibuisse. Cœterum insulæ Canariæ eædem creduntur, quæ veterum appellatione Fortunatæ dictæ sunt.

III. Gallis parent:

1. Insula Goree ad Caput viride in Nigritia, hæc cum fortalitio *Nassau*, Batavis a Gallis A. 1617. erepta, qui novum fortalitium, priori diruto, ibidem excitarunt:

2. Insula S. Ludovici ad ostia fluvii Senegal, aliaque ibidem loca, in quibus commercia admodum vigent.

IV. Anglorum imperio subsunt:

1. Duæ exiguæ insulæ *Charles* atque *James* dictæ, & quædam fortalitia ad ostia fluvii Gambiæ in Promontorio viridi.

2. Varia Castella in Ora aurea Guineæ, v. g. James-fort, Charles-Fort, Winebach-Fort, Succunde-Fort, Fort-Royal arx in promontorio Carso &c.

3. Helena insula, A. 1502. a Lusitano Jean de Nova die Helenæ detecta. Regio fertilis est. A. 1677. Anglus celeberrimus Edmundus Hallejus hic loci omnium stellarum meridionalium, Europæis latentium, longitudinem atque latitudinem exacte observavit, earumque catalogum postea typis mandandum curavit. Hæc insula ab Africa atque America ex reliquis longissime distare dicitur. Nonnulli olim mentionem fecerunt alterius cujusdam insulæ, quæ nova Helena dicta, & 150. milliaria versus orientem sita, sed hactenus de illa silentium.

